# ORATIONES PROPRIAE DE SANCTIS.

## Cum ſuis Antiphonis, & Verſiculis.

QVORVM FESTA SVNT Nouem lectionum.

In feſto S. Andreæ Apoſtoli. Antiphona.

CVm perueniſſet beatus Andreas ad locum vbi crux parata erat, exclamauit, & dixit: O beata crux, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata: ſecurus, & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te.

℣. Annunciauerunt opera Dei.

℟. Et facta eius intellexerunt. Oratio.

MAieſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus: vt ſicut Eccleſiæ tuæ B. Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector: ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per Dominum.

## FESTA DECEMBRIS.

In feſto S. Bibianæ virginis & mart. Antiphona. Veni ſponſa. ℣. Diffuſa eſt. Oratio. Indulgentiam. vt in Communi Virginum, & martyrum.

In feſto S.Nicolai Epiſcopi & Confeſs. Antiphona. Sacerdos, & Pontifex. ℣. Amauit eum. de Communi Confeſs. Pontif.





Oratio.

DEus, qui beatum Nicolaum Pontificem innumeris decoraſti miraculis: tribue quæſumus, vt eius meritis, & precibus à gehennæ incendijs liberemur. Per.

In feſto S. Ambroſij Epiſc. & Confeſs. & Eccleſ. Doct. Antiphona. O doctor optime. ℣. Amauit. Oratio. Deus, qui populo. de Communi Doct.

In feſto Concept. B. Mariæ, Aña. Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudio annunciauit vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.

℣. Conceptio eſt hodie ſanctæ Marię virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Oratio.

FAmulis tuis, quęſumus Domine, cęleſtis gratię munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium. Conceptionis eius votiua ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

In feſto S. Damaſi Papæ, & Confeſs. Antiph. Dum eſſet ſummus. ℣. Iuſtum deduxit. de Communi Confeſs. *Pontif.* Oratio.

EXaudi Domine preces noſtras: & interueniente beato Damaſo confeſſore tuo, atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus & pacem. Per Dominũ.

In feſto S. Luciæ virg. & mart. Antiphona. In tua patientia poſſidiſti animam tuam, Lucia ſponſa Chriſti: odiſti quæ in mundo ſunt, & coruſcas cum Angelis: ſanguine proprio inimicum viciſti.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.

℟. Proptera benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Luciæ virginis, & martyris tuæ feſtiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dñm.

In feſto S. Thomæ Apoſtoli, Aña. Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt, alleluia. ℣. Annunciauerũt opera Dei. ℟. Et facta eius intellexerunt. Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, beati Apoſtoli tui Thomæ ſolemnitatibus gloriari: vt eius ſemper & patrocinijs ſubleuemur, & fidem congrua deuotione ſectemur. Per Dominum.

In feſto Natiuit. Dñi, Aña. Hodie Chriſtus natus eſt: hodie Saluator apparuit: hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant iuſti dicẽtes: Gloria in excelſis Deo, allel. ℣. Notum fecit Dominus, allel. ℟. Salutare ſuum, alleluia. Oratio.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt nos Vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet. Per eumdem.

In feſto S. Stephani Protomart. Antiphona. Sepelierunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. ℣. Stephanus vidit cælos apertos. ℟. Vidit, & introiuit: beatus homo, cui cęli patebant.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, imitari quod colimus, vt diſcamus, & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiã pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum.

In



In feſto S. Ioannis Apoſt. & Euang. Antiphona. Iſte eſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cęna recubuit: beatus Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia. ℣. Valde honorandus eſt beatus Ioannes. ℟. Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit. Oratio.

ECcleſiam tuam Domine benignus illuſtra: vt beati Ioannis Apoſtoli tui, & Euangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat ſempiterna. Per Dominum.

In feſto SS. Innocentium, Antiphona. Innocentes pro Chriſto infantes occiſi ſunt, ab iniquo rege lactentes interfecti ſunt: ipſum ſequuntur Agnum ſine macula, & dicunt ſemper: Gloria tibi Domine.

℣. Sub throno Dei omnes Sancti clamant.

℟. Vindica ſanguinem noſtrum, Deus noſter.

Oratio.

DEus, cuius hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica: vt fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

In feſto S. Thomæ Cantuarienſis Epiſc. & mart. Aña, & ℣. de Communi vnius Mart. Oratio.

DEus, pro cuius Eccleſia glorioſus Pontifex Thomas gladijs impiorum occubuit: præſta quęſumus: vt omnes, qui eius implorant auxilium petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum.

In feſto S. Siluestri Papæ, & Confeſs. Antiphona. Dum eſſet ſummus. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Da quæſumus omnipotens Deus: vt beati Siluestri confeſſoris, &c. de Communi Conf. Pont.

FE-

## FESTA IANVARII.

In Circumciſione Domini, Aña. Magnum hereditatis myſterium: templum Dei factus eſt vterus neſcientis virum: non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient, dicẽtes: Gloria tibi Domine. ℣. Notum fecit Dominus, allel. ℟. Salutare ſuum, allel. Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecũ.

In Epiphania Domini, Antiphona. Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus: hodie Stella Magos duxit ad præſepium: hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias: hodie in Iordane à Ioanne Chriſtus baptizari voluit, vt ſaluaret nos, alleluia.

℣. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent.

℟. Reges Arabum, & Saba dona adducent. Oratio.

DEus, qui hodierna die vnigenitum tuum Gẽtibus, ſtella duce, reuelaſti: concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eumdem.

In feſto S. Hilarij Epiſc. & Confeſs. Aña. Sacerdos, & Pontifex. ℣. Amauit eum. de Communi Conf. Pontif. Oratio. Deus, qui populo tuo, &c. de Cõmuni Doct.

In feſto S. Pauli primi Eremitę Aña. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Deus, qui nos. de communi confeſs. non Pontif.

In feſto S. Marcelli Papę, & mart. Antiphona. Qui vult venire. ℣. Iuſtus vt palma. de communi vnius mart.

Ora-



Oratio.

PReces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi: vt beati Marcelli martyris tui, atque Pontificis meritis adiuuemur, cuius paſſione lętamur. Per.

In feſto S. Antonij Abbatis, Antiphona. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Interceſſio, &c. de communi confeſs. non Pontif.

In feſto Cathedræ S. Petri, qua Romæ primum ſedit. Aña. Dum eſſet ſummus Pontifex. vt in communi confeſs. Pont. ℣. Elegit te Dominus ſacerdotem ſibi.

℟. Ad ſacrificandum ei hoſtiam laudis. Oratio.

DEus, qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus regni cæleſtis ligandi, atque ſoluendi pontificium tradidiſti: concede, vt interceſſionis eius auxilio, à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Qui viuis, &c.

Eodem die fit commem. S. Pauli, Antiphona. Sancte Paule Apoſtole, prędicator veritatis, & doctor gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

℣. Tu es vas electionis Sancte Paule Apoſtole.

℟. Prædicator veritatis in vniuerſo mundo. Oratio.

DEus, qui multitudinem gentium beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti: da nobis quæſumus: vt cuius commemorationem colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

In feſto SS. martyr. Fabiani, & Sebaſtiani, Aña. Gaudent in cęlis. ℣. Exultabunt. de Cõi plur. mart. Oratio.

INfirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis grauat, beatorum martyrum tuorum Fabiani, & Sebaſtiani interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum.

In

In feſto S. Agnetis virg. & mart. Antiphona. Stans beata Agnes in medio flammę, expanſis manibus orabat ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, treméde, benedico te, & glorifico nomen tuum in æternum.

℣. Diffuſa eſt gratia. de communi virginum. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius, vt qui beatæ Agnetis virginis, & martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per.

In feſto ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij martyrum. Antiphona. Gaudent in cælis.

℣. Exultabunt. de communi plurim. Martt. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: vt qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus beatorum martyrum tuorum Vincētij, & Anaſtaſij interceſſione liberemur. Per Dominum.

In feſto S. Timothei Epiſc. & mart. Aña, ℣. & ℟. de cōmuni vnius mart. Oratio. Infirmitatem. de eodem cōi.

In Conuerſione S. Pauli, Aña. Sancte Paule Apoſtole.

℣. Tu es vas. vt ſuprà. 361. Oratio.

DEus, qui vniuerſum mundum beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti: da nobis quæſumus, vt qui eius hodie conuerſionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Eodem die fit commem. S. Petri, Antiphona. Tu es paſtor ouium princeps Apoſtolorum, tibi traditæ ſunt claues regni cælorum. ℣. Tu es Petrus. ℟. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Oratio. Deus, qui beato Petro. fol. 361.

In feſto S. Polycarpi Epiſc. & mart. Antiph. & ℣. de cōi vnius



vnius mart. Oratio Deus, qui nos. de eodem communi.

In feſto S. Ioannis Chryſoſt. Epiſc. cóf. Aña. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. de cómuni Doct. Oratio.

ECcleſiam tuam quæſumus Domine, gratia cæleſtis amplificet: quam beati Ioannis Chryſoſtomi confeſſoris tui, atque Pontificis illuſtrare voluiſti glorioſis meritis, & doctrinis. Per Dominum.

## FESTA FEBRVARII.

In feſto S. Ignatij Epiſc. & mart. Antiphona. Qui vult venire. ℣. Iuſtus, vt palma.

Oratio. Infirmitatem. de communi vnius mart.

In feſto Purificationis B. Mariæ virg. Aña. Hodie beata virgo Maria puerum Ieſum præſentauit in templo, & Simeon repletus Spiritu ſancto accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum in æternum. ℣. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto. ℟. Non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſupplices exoramus: vt ſicut vnigenitus Filius tuus hodierna die cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo eſt præſentatus: ita nos facias purificatis tibi mentibus præſentari. Per eumdem.

In feſto S. Agathæ virg. & mart. Aña. Stans beata Agatha in medio carceris, expanſis manibus orabat ad Dominum: Domine Ieſu Chriſte, magiſter bone, gratias tibi ago, qui me feciſti vincere tormenta carnificum: iube me Domine ad tuam immarceſcibilem gloriam feliciter peruenire. Per Dominum noſtrum, &c.

℣. Specie tua. Oratio. Deus inter cetera. de cōi virg.

S. Ro-

S.Romualdi Abbatis, Aña. Hic vir. ℣. Iuſtũ deduxit. Oratio. Interceſſio. de communi conf.Pont.

In feſto Cathedræ S.Petri Antiochiæ dicitur vt ſupra in Cathedra Rom. 361.

In feſto S.Matthiæ Apoſt. Antiphona. Eſtote fortes. ℣. Annunciauerunt. de communi Apoſt. Oratio.

DEus, qui beatum Matthiam Apoſtolorum tuorum collegio ſociaſti:tribue queſumus:vt eius interuentione, tuæ circa nos, pietatis ſẽper viſcera ſentiamus. Per.

## FESTA MARTII.

In feſto S.Caſimiri confeſs. Aña. Hic vir. ℣. Iuſtum. de communi Confeſs.non Pont. Oratio.

DEus, qui inter regales delicias, & mundi illecebras, ſanctum Caſimirum virtute conſtantiæ roboraſti: quæſumus, vt eius interceſſione fideles tui terrena deſpiciant, & ad cæleſtia ſemper aſpirent. Per Dominum.

In feſto S.Thomæ de Aquino, Aña. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. de communi Doct. Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam beati Thomæ confeſſoris tui mira eruditione clarificas, & ſancta operatione fęcundas: da nobis quæſumus, & quæ docuit, intellectu conſpicere: & quæ egit imitatione complere. Per Dñm.

In feſto SS.Quadraginta Martt. Aña. Gaudent in cęlis. ℣. Exultabunt. de communi plur. martt. Oratio.

PRęſta queſumus omnipotens Deus: vt qui glorioſos martyres fortes in ſua cõfeſſione cognouimus: pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per.

In feſto S.Greg. Papę & confeſs. & Eccl Doct Antiph. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. de cõmuni Doct.

Ora-



Oratio.

DEus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti: concede propitius, vt qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, eius apud te precibus ſubleuemur. Per Dominum.

In feſto S.Ioſeph conf. Antiphona. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum deduxit. de cõmuni conf.non Pont. Oratio.

SAnctiſſimæ genitricis tuæ ſponſi, queſumus Domine, meritis adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra nõ obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis, &c.

In feſto S.Ioachim Patris B.V. Antiph. Laudemus virũ glorioſum in generatione ſua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum ſuũ cõfirmauit ſuper caput eius. ℣. Potens in terra erit ſemẽ eius. ℟. Generatio rectorum benedicetur. Oratio.

DEus, qui præ omnibus ſanctis tuis beati Ioachim genitricis filij tui patrem eſſe voluiſti: cõcede quæſumus, vt cuius feſta veneramur, eius quoque perpetuo patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

In feſto S.Benedicti Abbatis, Antiphona. Hic vir. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Interceſſio nos, quæſumus Domine beati Benedicti Abbatis. de communi Confeſs. non Pont.

In feſto Annũciationis B.Mariæ Virginis, Antiphona. Gabriel Angelus locutus eſt Mariæ, dicens: Aue gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Si hoc feſto venerit poſt Paſcha additur in fine Antiph. & ℣. Alleluia. quod fit in omnibus feſtis à Dominica in Albis vſque ad Pent. ℣. Angelus Domini nunciauit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu ſancto.

Ora-

Oratio.

DEus,qui de beatę Mariæ virginis vtero, verbũ tuũ, Angelo nunciãte, carnẽ ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis: vt qui verè eã genitricẽ Dei credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eumdem.

## FESTA APRILIS.

In feſto S.Franciſci de Paula confeſſ. Antiph. Hic vir. ℣. Iuſtum. de communi confeſſ. non Pontif. Oratio.

DEus humilium celſitudo, qui beatum Franciſcum confeſſorem ſanctorũ tuorũ gloria ſublimaſti: tribue quæſumus, vt eius meritis, & imitatione, promiſſa humilibus præmia feliciter conſequamur. Per Dominũ.

In feſto S. Leonis Papæ, & confeſſ. Antiphona. Dum eſſet ſummus. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Exaudi quæſumus Domine. de communi confeſſoris Pont.

In feſto Sanctorum Martt. & Pontif. Soteris, & Caij, Antiphona. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de communi plur. martt. Oratio.

BEatorum martyrum, pariterque Põtificum Soteris, & Caij nos, quæſumus Domine, feſta tueãtur: & eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

In feſto S. Georgij mart. Antiphona. Qui vult venire. ℣ Iuſtus vt palma. de communi vnius mart. Oratio.

DEus, qui nos beati Georgij martyris tui meritis, & interceſſione lætificas: concede propitius, vt qui tua per eum beneficia poſcimus dono tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum.

In feſto S. Marci Euang. Antiphona. Sancti, & iuſti. ℣. Pretioſa. de cõmuni Apoſt. & Euang. temp. Paſch.





Oratio.

DEus, qui beatum Marcum Euangeliſtam tuum, Euangelicæ prędicationis gratia ſublimaſti: tribue quæſumus, eius nos ſemper & eruditione proficere, & oratione defendi. Per Dominum.

In feſto SS. Cleti, & Marcellini Pontif. & martt. Aña. & ℣. de communi martyrum tempore Paſch. Oratio. Beatorum martyrum. de eodem communi.

In feſto S. Petri martyris, Aña. Lux perpetua. ℣. Sancti & iuſti. de communi martt. temp. Paſch. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt beati Petri martyris tui fidem congrua deuotione ſectemur: qui pro eiuſdem fidei dilatatione, martyrij palmam meruit obtinere. Per Dominum.

In feſto S. Catharinæ Senen. virg. Antiphona. Veni ſponſa. ℣. Specie. de communi virg. non mart.

DA quęſumus oĩpotens Deus: vt qui beatæ Catharinæ virginis tuæ natalitia colimus, & annua ſolẽnitate lætemur, & tantæ virtutis proficiamus exẽplo. Per.

## FESTA MAII.

In feſto Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, Antiphona. Si mãſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerint, quodcũque petieritis, fiet vobis, allel. allel. all.
℣. Pretioſa in conſpectu Domini, alleluia.
℟. Mors ſanctorum eius, alleluia. Oratio.

DEus, qui nos annua Apoſtolorum tuorũ Philippi, & Iacobi ſolẽnitate lætificas: præſta quæſumus, vt quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Per.

In feſto S. Athanaſij Epiſcopi, & confeſſ. Antiphona. O

doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Exaudi quæſumus Domine. de communi confeſs. Pont.

In feſto Inuent. S. Crucis, Aña. Crucem sáctam ſubijt, qui infernũ confregit, accinctus eſt potentia, ſurrexit die tertia, allel. ℣. Hoc ſignum crucis erit in cælo, alleluia. ℟. Cum Dominus ad iudicandum venerit, allel. Oratio.

DEus, qui in præclara ſalutiferę crucis inuẽtione, paſſionis tuę miracula ſuſcitaſti, cõcede, vt vitalis ligni pretio, ęternæ vitæ ſuffragia cõſequamur. Qui viuis, &c.

In feſto S. Ioannis ante portam Latinam. Antiphona. In feruentis olei dolium miſſus beatus Ioannes Apoſtolus, diuina ſe protegente gratia illæſus exiuit, alleluia. ℣. Pretioſa. de communi Apoſtolorum, temp. Paſch. Oratio.

DEus, qui conſpicis, quia nos vndique mala noſtra perturbãt: præſta quæſumus, vt B. Ioannis Apoſtoli tui, & Euangeliſtę interceſſio glorioſa nos protegat. Per.

S. Stanislai Epiſcopi & mart. Antiphona. Sácti, & iuſti. ℣. Pretioſa in conſpectu. de communi martyrum, tempore Paſchal. Oratio.

DEus, pro cuius honore glorioſus Pontifex Stanislaus gladijs impiorum occubuit: præſta quæſumus, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum.

In apparit. S. Michaelis Archágeli dicitur ſicut in alio feſto menſis Septembris, addendo in fine Verſic. & Antiphonæ.

In feſto S. Gregorij Nazianzeni Epiſcopi, & confeſs. Antiphona. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. de communi Doctorum. Oratio.





DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis Beatum Gregorium miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

In feſto SS. Nerei, Achillei, Domitillæ, atque Pancratij martt. Antiphona. Sácti, & iuſti. ℣. Pretioſa. de communi plur. martt. Oratio.

SEmper nos Domine martyrum tuorũ Nerei, Achillei, Domitillæ, atque Pácratij foueat quæſumus beata ſolemnitas: & tuo dignos reddat obſequio. Per.

## FESTA IVNII.

In feſto S. Norberti Epiſcopi, & confeſs. Aña. Amauit. ℣. Iuſtum. de communi conf. Pont. Oratio.

DEus, qui beatum Norbertum confeſſorem tuum, atque Pontificem, verbi tui præconem eximium effeciſti, & per eum Eccleſiam tuam noua prole fęcundaſti præſta quæſumus, vt eiuſdem ſuffragantibus meritis, quod ore ſimul & opere docuit, te adiuuante, exercere valeamus. Per Dominum.

In feſto S. Barnabæ Apoſtoli, Antiph. & Verſ. de communi Apoſtolorum. Oratio.

DEus qui nos Beati Barnabę Apoſtoli tui meritis, & interceſſione lætificas: cõcede propitius: vt qui tua per eũ beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum.

In feſto S. Antonij de Padua confeſs. Aña. Hic vir deſpiciens. ℣ Iuſtum. de cõi confeſs. non Pontif. Oratio.

ECcleſiam tuam Deus, beati Antonij confeſſoris tui ſolemnitas votiua lætificet: vt ſpiritualibus ſemper

muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis. Per Dominum.

In feſto S.Blaſij Magni Epiſc. & confeſs. Aña. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. de communi Doct. Oratio. Exaudi quæſumus Domine, de cõi Conf. Pont.

In Natiuit. S. Ioannis Bapt. Antiphona. Puer, qui natus eſt nobis, plus quàm Propheta eſt: hic eſt enim, de quo Saluator ait: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. ℣. Iſte puer magnus coram Domino. ℟. Nam & manus eius cum ipſo eſt. Oratio.

Deus, qui præſentem diem honorabilem nobis in beati Ioannis natiuitate feciſti: da populis tuis ſpiritualium gratiam gaudiorum: & omnium fidelium mẽtes dirige in viam ſalutis æternæ. Per Dominum.

In feſto SS. martt. Ioannis & Pauli. Aña. Iſti ſunt duę oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: habent poteſtatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius: quia linguæ eorum claues cæli factæ ſunt. ℣. Exultabunt ſancti. de communi plur. martt. Oratio.

Qvæſumus omnipotens Deus: vt nos geminata lætitia hodiernæ feſtiuitatis excipiat, quæ de beatorum Ioannis, & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides, & paſſio verè fecit eſſe germanos. Per Dñm.

In feſto S. Leonis Papæ, & confeſs. Antiphona. Dum eſſet ſummus. ℣. Iuſtum. de cõi confeſs. Pont. Oratio.

Deus qui beatum Leonem Pontificem ſanctorum tuorum meritis coæquaſti: concede propitius, vt qui commemorationis eius feſta percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum.

In feſto SS. Apoſtol. Petri, & Pauli. Antiphona. Hodie





Simon Petrus aſcendit crucis patibulum, alleluia: hodie clauicularius regni gaudens migrauit ad Chriſtum: hodie Paulus Apoſtolus, lumen orbis terræ, inclinato capite pro Chriſti nomine martyrio coronatus eſt, alleluia. ℣. Annunciauerunt. de communi Apoſt. Oratio.

Deus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli martyrio conſecraſti: da Eccleſiæ tuæ, eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium. Per Dominum.

In Commem. S. Pauli, Antiphona. Sancte Paule Apoſtole, prædicator vetitatis, & doctor gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.
℣. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole.
℟. Prædicator veritatis in vniuerſo mundo. Oratio.

Deus, qui multitudinem gentium beati Pauli Apoſtoli prędicatione docuiſti: da nobis quæſumus, vt cuius natalitia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

Eodem die fit cõm. S. Petri, vt in Conuerſ. S. Pauli. 362.

Infra Oct. SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Antiphona. Petrus Apoſtolus, & Paulus doctor gentium ipſi nos docuerunt legem tuam Domine. ℣. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui Domine. Oratio. Deus, qui hodiernam. vt ſuprà.

## FESTA IVLII.

In feſto Viſit. B. Mariæ Virginis, Antiphona. Beatam me dicẽt omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus, alleluia. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cæleſtis gratiæ munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, viſitationis eius votiua ſolemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

In Oct. Apoſt. Petri, & Pauli, Antiphona. Petrus Apoſtolus, & Paulus. ℣. Conſtitues eos. vt ſuprà. Oratio.

DEus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & coapoſtolum eius Paulum, tertio naufragantem, de profundo pelagi liberauit: exaudi nos propitius, & concede: vt amborum meritis æternitatis gloriam cóſequamur. Qui viuis, &c.

In feſto SS. Martyrum ſeptem Fratrum, ac Rufinæ, & Secundæ virg. & martt. Antiphona. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de Communi plur. Martt. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui glorioſos martyres, fortes in ſua cófeſſione cognouimus: pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per.

In feſto S. Anacleti Papę, & mart. Antiphona. Qui vult venire. ℣. Iuſtus, vt palma.

Oratio. Deus, qui nos. de communi vnius mart.

In feſto S. Bonauenturæ Epiſc. & confeſs. Antiphona. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Deus, qui populo. de communi Doctorum.

In feſto S. Mariæ Magdalenę, Antiphona. Mulier, quę erat in ciuitate peccatrix, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ora-



Oratio.

BEatæ Mariæ Magdalenæ, quęſumus Dñe, ſuffragijs adiuuemur: cuius precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarũ viuum ab inferis reſuſcitaſti. Qui viuis.

In feſto S. Apollinaris Epiſc. & mart. Aña. Qui vult venire poſt me. ℣. Iuſtus. vt in cõmuni vnius mart. Oratio.

DEus fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Apollinaris ſacerdotis tui martyrio conſecraſti: tribue nobis, quæſumus, famulis tuis: vt cuius venerandam celebramus feſtiuitatem, precibus eius indulgentiam conſequamur. Per Dominum.

In feſto S. Iacobi Apoſt. Antiphona Eſtote fortes.

℣. Annunciauerunt. de communi Apoſt. Oratio.

ESto Domine plebi tuæ ſanctificator, & cuſtos: vt Apoſtoli tui Iacobi munita pręſidijs, & conuerſatione tibi placeat, & ſecura mente deſeruiat. Per Dñm.

In feſto S. Annæ matris B. Mariæ virg. Aña. Manũ ſuá aperuit. ℣. Diffuſa. vt in cõi nec virg. nec martt. Oratio.

DEus, qui Beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, vt genitricis vnigeniti Filij tui mater effici mereretur: cócede propitius, vt cuius ſolemnia celebramus, eius apud te patrocinijs adiuuemur. Per eumdem.

In feſto SS. martt. Nazarij, Celſi, & Victoris, ac Innocentij Papæ, & confeſs. Antiphona. Gaudent in cælis.

℣. Exultabunt. de communi plur. martt. Oratio.

SAnctorum tuorum nos Domine, Nazarij, Celſi, Victoris, & Innocentij confeſſio beata communiat: & fragilitati noſtræ ſubſidium dignanter exoret. Per.

In feſto S. Marthæ virg. Aña. Veni ſpóſa Chriſti. ℣. Species tua. Oratio. Exaudi nos Deus. de cõi virg. tantum.

## FESTA AVGVSTI.

In feſto S. Petri ad Vincula. Antiphona. Solue iubente Deo terrarum Petre catenas, Qui facis, vt pateant cæleſtia regna beatis. ℣. Tu es Petrus. ℟. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Oratio.

Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: noſtrorum, quæſumus, abſolue vincula peccatorum: & omnia mala à nobis propitiatus exclude. Per Dominum.

Eodem die fit cõm. S. Pauli, vt ſup. in Cath. S. Petri. 314.

In Inuentione S. Stephani. Aña. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat ſigna magna in populo. ℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati. ℟. Et fecerunt planctum magnum ſuper eum. Oratio.

Da nobis, quæſumus Domine imitari quod colimus, vt diſcamus & inimicos diligere: quia eius inuentionem celebramus, qui nouit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum.

In feſto S. Dominici confeſſ. Aña. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum deduxit. ℟. Et oſtendit. de communi confeſſ. non Pontif. Oratio.

Deus, qui Eccleſiam tuam beati Dominici confeſſoris tui illuminare dignatus es meritis, & doctrinis: concede, vt eius interceſſione temporalibus non deſtituatur auxilijs, & ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis. Per Dominum.

In feſto S. Mariæ ad Niues. Aña. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo

ſexu:



ſexu: ſeniant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam feſtiuitatem. ℣. Dignare me laudare te virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Dñe Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per.

In feſto Transfig. Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Aña. Chriſtus Ieſus ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, in monte excelſo glorioſus apparere hodie dignatus eſt. ℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus. Oratio.

Deus, qui fidei ſacramenta in Vnigeniti tui glorioſa transfiguratione patrum teſtimonio roboraſti: & adoptionem filiorum perfectam voce delapſa in nube lucida, mirabiliter præſignaſti: concede propitius, vt ipſius Regis gloriæ nos coheredes efficias, & eiuſdem gloriæ tribuas eſſe conſortes. Per eumdem Dominum.

In feſto SS. Cyriaci, Largi, & Smar. martt. Aña. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de cõi plur. martt. Oratio.

Deus, qui nos annua ſanctorum martyrum tuorum Cyriaci, Largi, & Smaragdi ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum.

In feſto S. Laurentij mart. Aña. Beatus Laurẽtius dum in craticula ſuperpoſitus vreretur, ad impijſſimũ tyrannum dixit: Aſſatũ eſt iam, verſa, & manduca: nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cęleſtes theſauros manus

pau-

pauperum deportauerũt. ℣. Leuita Laurentius bonum opus operatus eſt. ℟. Qui per ſignum crucis cæcos illuminauit. Oratio.

DA nobis quæſumus omnipotens Deus: vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurẽtio tribuiſti tormentorum ſuorũ incendia ſuperare. Per.

In feſto Aſſumpt. B. Mariæ Virg. Antiphona. Hodie Maria virgo cælos aſcendit: gaudete, quia cum Chriſto regnat in æternum. ℣. Exaltata eſt ſancta Dei genitrix. ℟. Super choros Angelorum ad cęleſtia regna. Oratio.

FAmulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce: vt qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, genitricis Filij tui Domini noſtri interceſſione ſaluemur. Per eumdem.

In feſto S. Hyacinthi confeſſ. Aña. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum. Oratio. Deus, qui nos. de cõi conf. non Pont.

In feſto S. Bernardi Abbatis, Antiphona. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio. Interceſſio nos quæſumus Domine, beati Bernardi Abbatis. de communi Confeſſ. non Pont.

In Oct. Aſſumpt. B. M. Antiph. *verſ. & Oratio, vt in feſto.*

In feſto S. Bartholomæi Apoſt. Antiph. Eſtote fortes. ℣. Annunciauerunt. de communi Apoſt. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam, ſanctamque lætitiam in beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtiuitate tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ, quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Dominum.

In feſto S. Ludouici Regis Franciæ, Aña. Hic vir deſpiciens. de communi conf. non Pont. ℣. Iuſtum deduxit.





Oratio.

DEus, qui beatum Ludouicum confeſſorem tuum de terreno regno ad cęleſtis regni gloriã trãſtuliſti: eius quęſumus meritis, & interceſſione, Regis regũ Ieſu Chriſti filij tui facias nos eſſe conſortes. Per eumdem.

In feſto S. Auguſtini Epiſc. & conf. & Eccl. Doct. Aña. O doctor optime. ℣. Iuſtũ deduxit. de cõi Doct. Oratio.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordię tribue benignus effectum. Per Dominum.

In Decollatione S. Ioannis Baptiſtæ, Antiphona. Miſit rex incredulus miniſtros deteſtabiles, & amputari iuſſit caput Ioannis Baptiſtæ. ℣. Iuſtus vt palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Oratio.

SAncti Ioannis Baptiſtæ præcurſoris & martyris tui, quæſumus Domine, veneranda feſtiuitas, ſalutaris auxilij nobis præſtet effectum. Qui viuis, &c.

## FESTA SEPTEMBRIS.

In Natiuit. B. Mariæ Virginis Antiphona. ℣. & Oratio dicuntur, vt in eius Conceptione, mutato nomine Conceptionis, in Natiuitatem. 359.

In feſto S. Nicolai de Tolent. conf. Aña. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum. de communi conf. non Pont. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in beati Nicolai cõfeſſoris tui ſolemnitate deferimus: vt qui noſtræ iuſtitię fiduciam non habemus eius, qui tibi placuit, precibus adiuuemur. Per Dominum.

In feſto Exaltat. S. Crucis, Antiphona. O crux benedicta, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorũ, & Dominum, alleluia. ℣. Hoc ſignum crucis erit in cælo. ℟. Cum Dominus ad iudicandum venerit. Oratio.

DEus, qui nos hodierna die Exaltationis ſanctæ crucis annua ſolemnitate lætificas: præſta quæſumus, vt cuius myſteriũ in terra cognouimus, eius redemptionis præmia in cælo mereamur. Per eumdem Dominũ.

In feſto SS. martt. Cornelij, & Cypriani, Antiphona. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. Oratio. Beatorum martyrum. de communi plur. martt.

In feſto SS. Martyrum Ianuarij Epiſcopi & Soc. Antiphona. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de communi plurium martt. Oratio.

DEus, qui nos annua ſanctorum martyrum tuorum Ianuarij, & ſociorum eius, ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

In feſto SS. Euſtachij, & Soc. Antiphona. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. Oratio.

DEus qui nos concedis ſanctorũ martyrum tuorum Euſtachij, & ſociorum eius natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorũ ſocietate gaudere. Per.

In feſto S. Matthęi Apoſtoli, & Euang. Aña. Eſtote fortes. ℣. Annunciauerũt. de communi Apoſt. Oratio.

BEati Apoſtoli, & Euangeliſtę Matthęi, Domine precibus adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Per Dominũ.

In feſto S. Lini Papæ, & mart. Aña. Qui vult venire. ℣. Iuſtus. Oratio. Deus, qui nos, de cõmuni vnius mart.





In feſto SS. martt. Coſmæ, & Damiani, Antiphona. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de communi plurim. martyrum. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui ſanctorum martyrum tuorum Coſmæ, & Damiani natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, eorum interceſſionibus liberemur. Per Dominum noſtrum.

In feſto Dedicat. S. Michaelis Archang. Antiphona. Princeps glorioſiſſime, Michael Archangele, eſto memor noſtri: hic & vbique ſemper precare pro nobis Filium Dei, alleluia, alleluia. ℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Oratio.

DEus, qui miro ordine, Angelorum miniſteria, hominumque diſpenſas: concede propitius: vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Dominum.

In feſto S. Hieronymi Presbyt. confeſs. & Eccl. Doct. Antiphona. O doctor optime. ℣. Iuſtum deduxit. de communi Doct. Oratio.

DEus, qui Eccleſiæ tuæ in exponendis ſacris ſcripturis beatum Hieronymũ cófeſſorem tuũ doctorem maximum prouidere dignatus es: præſta quæſumus, vt eius ſuffragantibus meritis, quod ore ſimul & opere docuit, te adiuuante, exercere valeamus. Per Dominum.

## FESTA OCTOBRIS.

In feſto S. Franciſci confeſſoris. Antiphona. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum deduxit. de cõi conf. non Pont.

Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam B. Franciſci meritis fœtu nouæ prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena deſpicere, & cæleſtium donorum ſemper participatione gaudere. Per Dominum.

In feſto S. Brunonis confeſſ. Antiphona. Hic vir deſpiciens. ℣. Iuſtum. de communi conf. non Pontif. Oratio.

SAncti Brunonis confeſſoris tui, quæſumus Domine, interceſſionibus adiuuemur: vt qui maieſtatem tuã grauiter delinquendo offendimus, eius meritis, & precibus noſtrorum delictorum veniam conſequamur. Per Dominum noſtrum.

In feſto S. Birgittæ viduæ. Antiphona. Manum ſuam. ℣. Diffuſa. de communi Sanctarum non virg. Oratio.

DOmine Deus noſter, qui beatę Birgittę per Filium tuum vnigenitum ſecreta cæleſtia reuelaſti: ipſius pia interceſſione da nobis famulis tuis, in reuelatione ſempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eumdem.

In feſto SS. Martt. Dionyſij, Ruſtici, & Eleuth. Aña. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de cõmuni plurim. Martyrum. Oratio.

DEus, qui hodierna die beatum Dionyſium martyrem tuum, atque Pontificem virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Ruſticum, & Eleutherium ſociare dignatus es: tribue nobis quæſumus, eorum imitatione, pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Per Dominum.

In feſto S. Calliſti Papæ, & mart. Antiphona. Qui vult venire. ℣ Iuſtus, vt palma. de communi vnius mart.

Ora-



Oratio.

DEus, qui nos conſpicis ex noſtra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos miſericorditer per ſanctorum tuorum exempla reſtaura. Per Dominum.

In feſto S. Lucæ Euang. Antiphona. Eſtote fortes. ℣. Annunciauerunt. de communi Apoſt. Oratio.

INteruematiat pro nobis, quæſumus Domine, ſanctus tuus Lucas Euangeliſta: qui crucis mortificationem, iugiter in ſuo corpore, pro tui nominis honore portauit. Per Dominum.

In feſto SS. Apoſt. Simonis, & Iudæ, Aña. Eſtote fortes. ℣. Annunciauerunt. de communi Apoſtol. Oratio.

DEus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos Simonem, & Iudam ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti: da nobis eorum gloriam ſempiternam, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominũ.

## FESTA NOVEMBRIS.

In feſto Omnium Sanctorum, Aña. O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti, amicti ſtolis albis ſequuntur Agnum quocumque ierit. ℣. Exultabunt ſancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita, ſub vna tribuiſti celebritate venerari: quæſumus, vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus largiaris. Per Dominum.

In Dedicat. Baſilicæ Saluatoris dicitur vt in communi Dedicationis, infrà. fol. 395.

In

In feſto S. Martini Epiſcopi & confeſs. Antiphona. O beatum Pontificem, qui totis viſceribus diligebat Chriſtum Regem, & nō formidabat imperij principatum: ò ſāctiſſima anima, quā etſi gladius perſecutoris nō abſtulit, palmā tamen martyrij nō amiſit. ℣. Iuſtum deduxit Dn̄s per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnū Dei. Oratio.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: concede propitius, vt interceſſione beati Martini confeſſoris tui, atque Pontificis, contra omnia aduerſa muniamur. Per Dominum.

In feſto S. Martini Papæ & mart. Aña. Qui vult venire. ℣. Iuſtus. Oratio. Deus, qui nos. de cōmuni vnius mart.

In feſto S. Gregorij Thaumaturgi Epiſc. & conf. Aña. Amauit eum. ℣. Iuſtum. Oratio. Da quæſumus omnipotens Deus. de communi confeſs. Pont.

In Dedicat. Baſilicæ Sanctorum Apoſt. Petri, & Pauli, de communi Dedicat. infrà. 395.

In feſto Præſentationis B. Mariæ virg. Aña. Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templū Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, ſola ſine exēplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto, allel. ℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutē cōtra hoſtes tuos. Oratio.

DEus, qui beatam Mariam ſemper virginem Spiritus ſancti habitaculum, hodierna die in templo præſentari voluiſti: præſta quęſumus, vt eius interceſſione, in templo gloriæ tuæ præſentari mereamur. Per Dominum. In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

In feſto S. Cęcilię virg. & mart. Aña. Virgo glorioſa ſēper Euangeliū Chriſti gerebat in pectore ſuo, & nō diebus, neq; noctibus à colloquijs diuinis, & orōne ceſſabat.





℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Oratio.

DEus qui nos annua beatæ Cæcilię, virginis, & martyris tuæ ſolemnitate lętificas: da, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuerſationis ſequamur exemplo. Per Dominum.

In feſto S. Clementis Papæ, & mart. Antiphona. Dediſti Domine habitaculum martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei, Angelicis manibus pręparatum, iter præbens populo terræ, vt enarrent mirabilia tua. ℣. Iuſtus vt palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Oratio.

DEus, qui nos annua beati Clementis martyris tui, atque Pontificis ſolemnitate lętificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum.

In feſto S. Catharinæ virg. & mart. Aña. Veni ſponſa Chriſti. ℣. Diffuſa eſt. de communi virginum, & mart. Oratio.

DEus, qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ virginis, & martyris tuæ mirabiliter collocaſti: præſta quæſumus, vt eius meritis, & interceſſione, ad montem, qui Chriſtus eſt peruenire valeamus. Per eumdem.

# COMMEMORATIONES SANCTORVM.

Quorum Officia ſunt ad libitum.

## DIE XXVI. MAII.

In feſto S. Philippi Nerij Confeſſoris, Aña. Hic vir. ℣. Iuſtum. de communi Confeſſ. non Pont. Oratio.

DEus, qui beatum Philippum confeſſorem tuum, ſanctorum tuorum gloria ſublimaſti: concede propitius, vt cuius ſolemnitate lætamur, eius virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum.

## DIE IV. IVLII.

In feſto S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ. Antiphona. Manum ſuam. ℣. Diffuſa eſt. de communi nec virginum, nec martt. Oratio.

CLementiſſime Deus, qui beatam Eliſabeth reginam, inter ceteras egregias dotes, bellici furoris ſedandi prærogatiua decoraſti: da nobis eius interceſſione poſt mortalis vitæ, quam ſuppliciter petimus pacem, ad æterna gaudia peruenire. Per Dominum.

## DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In feſto Impreſſionis ſacrorum Stigmatum in corpore S. Franciſci. Antiphona. Hic vir deſpiciens mundum, & terrena, triumphans, diuitias cælo condidit ore, manu.

℣. Signaſti Domine ſeruum tuum Franciſcum.

℟. Signis redemptionis noſtræ.

Ora-



Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui frigeſcente mundo ad inflammandum corda noſtra tui amoris igne, in carne beatiſſimi Franciſci paſſionis tuæ ſacra Stigmata renouaſti: concede propitius, vt eius meritis, & precibus crucem iugiter feramus, & dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, &c.

In feſto SS. Angelorum Cuſtodum, Antiphona. Sancti Angeli cuſtodes noſtri, defendite nos in prælio, vt non pereamus in tremendo iudicio.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Oratio.

DEus, qui ineffabili prouidentia ſanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere dignaris: largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum.

## DIE IV. NOVEMBRIS.

In feſto ſancti Caroli Epiſcopi, & Confeſſoris, Aña. Amauit eum. ℣. Iuſtum. de Communi Confeſſoris Pontificis. Oratio.

ECcleſiam tuam Domine ſancti Caroli confeſſoris tui, atque Pontificis continua protectione cuſtodi: vt ſicut illum Paſtoralis ſolicitudo glorioſum reddidit, ita nos eius interceſſio in tuo ſemper faciat amore feruentes. Per Dominum.





# ORATIONES COMMVNES DE SANCTIS.

**In Vigilijs Apoſtolorum. Antiphona.**

MAiorem caritatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. ℣. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. ℞. Memores erunt nominis tui Domine. **Oratio.**

DA, quæſumus omnipotens Deus: vt beati N. Apoſtoli tui, quam præuenimus, veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dñm.

**In natali Apoſtolorum, & Euangeliſtarũ, Antiphona.**

Tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ante reges, & præſides ducemini propter me in teſtimonium illis, & Gentibus.

℣. In omnem terram exiuit ſonus eorum.

℞. Et in fines orbis terræ verba eorum.

**Alia Antiphona.** Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente: & accipietis regnum æternum, alleluia. ℣. Annunciauerunt opera Dei.

℞. Et facta eius intellexerunt.

**Tempore Paſchali, Antiphona.** Lux perpetua lucebit ſanctis tuis Domine, & æternitas temporum, alleluia.

℣. Sancti, & iuſti in Domino gaudete, alleluia.

℞. Vos elegit Deus in hereditatem ſibi, alleluia.

**Alia Antiphona.** Sancti, & iuſti in Domino gaudete, alleluia: vos elegit Deus in hereditatem ſibi, alleluia.

℣. Pretioſa in conſpectu Domini, alleluia.
℟. Mors ſanctorum eius, alleluia.

Oratio, vt ſuis locis in proprio Sanctorum.

In natali vnius Mart. Antiphona. Iſte ſanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat ſupra firmam petram.
℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine.
℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Alia Antiphona. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.
℣. Iuſtus vt palma florebit.
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Tempore Paſch. Antiphona. & ℣. vt ſupra in Communi Apoſtolorum tempore Paſchali.

Pro Martyre, & Pontifice. Oratio.

INfirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis grauat, beati N. martyris tui, atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum. Alia Oratio.

DEus, qui nos beati N. martyris tui, atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius; vt cuius natalitia colimus, de eiuſdem etiam potectione gaudeamus. Per Dominum.

Pro Martyre tantum. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui beati N. martyris tui natalitia colimus, interceſsione eius in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Alia Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt intercedente beato N. martyre tuo, & à cunctis aduerſitatibus





liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

In Natali plurium Mart. Antiph. Iſtorum eſt enim regnum cælorum, qui contempſerunt vitam mundi, & peruenerunt ad præmia regni, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. ℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Alia Antiphona. Gaudent in cęlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto exultant ſine fine. ℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

Temp. Paſch. Antiph. & ℣. vt ſup. in communi Apoſt. temp. Paſch. Pro plurib. Mart. & Pont. Oratio.

BEatorum martyrum, pariterque Pontificum N. & N. nos quæſumus Domine feſta tueantur: & eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

Pro Martyribus tantum. Oratio.

DEus, qui nos concedis ſanctorũ martyrum tuorum N. & N. natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per. Alia Oratio.

DEus, qui nos annua ſanctorum martyrum tuorum N. & N. ſolẽnitate lætificas: concede propitius: vt quorum gaudemus meritis, accendamur exẽplis. Per.

IN NATALI Confeſs. Pont. Antiphona. Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, paſtor bone in populo ora pro nobis Dominum. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Alia Antiphona. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum, & ad portas paradiſi co-

ronauit eum. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

Pro ſolis ſummis Pontificibus, Aña. Dum eſſet ſummus Pontifex terrena non metuit, ſed ad cæleſtia regna glorioſus migrauit. ℣. Iuſtum deduxit.

Tempore Paſchali additur in fine Antiphonarum, & Verſic. Alleluia. Oratio.

DA, quæſumus omnipotens Deus: vt beati N. confeſſoris tui, atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat & ſalutem. Per Dominum noſtrum, &c. Alia Oratio.

EXaudi quæſumus Domine preces noſtras, quas in beati N. confeſſoris tui, atque Pontificis ſolemnitate deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, eius intercedentibus meritis ab omnibus nos abſolue peccatis. Per Dominum.

IN NATALITIIS Doctorum, Antiphona. O Doctor optime, Eccleſiæ ſanctæ lumen, beate N. diuinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio.

DEus, qui populo tuo ęternæ ſalutis beatum N. miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

IN NATALI Confeſs. non Pont. Antiphona. Similabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram. ℣. Amauit eum. vt ſuprà.

Alia Antiphona. Hic vir deſpiciens mundum, & terrena triumphans, Diuitias cælo condidit ore, manu. ℣. Iuſtum deduxit. vt ſuprà.





Tempore Paſchali in fine Antiphonarum, & Verſic. additur Alleluia. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in beati N. confeſſoris tui ſolemnitate deferimus: vt qui noſtræ iuſtitiæ fiduciam non habemus, eius, qui tibi placuit precibus adiuuemur. Per Dominum.

Alia Oratio.

DEus, qui nos beati N. confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Si fuerit Abbas. Oratio.

INterceſſio nos quæſumus Domine, beati N. Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis nõ valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominum.

IN NATALITIIS Virginum, Antiphona. Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, proſperè procede, & regna.

Tempore Paſchali additur in fine Antiphonarum, & Verſiculorum, Alleluia. Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrij contuliſti: concede propitius, vt qui beatæ N. virginis, & martyris tuæ natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Alia Oratio.

INdulgentiam nobis, quæſumus Domine, beata N. Virgo, & martyr imploret: quæ tibi grata ſẽper extitit, & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per.

Pro Virgine tantum. Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ N. Virginis tuæ feſtiuitate gaudemus, ita pie deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

In natalitijs plurium Virg. & mart. Antiphona. Prudentes virgines, aptate veſtras lampades: ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. ℣. Adducentur regi virgines poſt eam. ℟. Proximæ eius afferentur tibi. Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine Deus noſter, ſanctarum virginum, & martyrum N. & N palmas inceſſabili deuotione venerari: vt quas digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltem frequentemus obſequijs. Per Dominum.

In feſto Sanctæ Martyris tantum, & nec Virginis, nec Martyris. Antiphona. Simile eſt regnum cælorum hómini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretioſa, dedit omnia ſua, & comparauit eam. ℣. Specie tua, & pulchritudine.

Alia Antiphona. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem, & panem otioſa non comedit. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Oratio.

DEus qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in ſexu fragili victoriam martyrij contuliſti: concede propitius, vt qui beatæ N. martyris tuæ natalitia colimus, per eius ad exempla gradiamur. Per Dominũ.

Si fuerint plures. Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine Deus noſter ſanctarum martyrum N. & N. palmas inceſſabili deuotione venerari: vt quas digna mente non poſſumus

# OFFICIVM S. CRVCIS.

## AD MATVTINVM.

℣. Per ſignum Crucis de inimicis noſtris.
℟. Libera nos Deus noſter.

Sic dicitur in principio omnium Horarum ſanctæ Crucis. ℣.

DOmine labia mea aperies. ℟. Et os meum annunciabit laudem tuam. ℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, &c. non dicitur, Alleluia, neque, Laus tibi Domine.

Hymnus.

PAtris ſapientia, veritas diuina,
Deus homo captus eſt hora matutina:
A notis diſcipulis cito derelictus:
A Iudæis traditus, venditus, & afflictus.

Antiphona. O crux venerabilis, quæ ſalutem attuliſti miſeris, quibus te efferam præconijs, quoniam vitam nobis cælitem præparaſti.

℣. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi.
℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum. Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, pone paſſionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam nunc, & in hora mortis meæ: & mihi largiri digneris gratiam, & miſericordiam: viuis, & defunctis requiem, & veniam: Eccleſiæ tuæ pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam ſempiternam. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.
℟. Amen.

## A D P R I M A M.

℣. Per ſignum, &c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen. Hymnus.

HOra prima Dominum ducunt ad Pilatum.
Et à falſis teſtibus multum accuſatum:
Colaphis percutiunt manibus ligatum:





Vultum Dei conſpuunt lumen cœli gratum.

Antiphona. O Crucis victoria, & admirabile ſignum, in cæleſti gloria fac nos captare triumphum.
℣. Adoramus te Chriſte.
Oratio. Domine Ieſu Chriſte. vt ſupra.

## A D T E R T I A M.

℣. Per ſignum, &c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Hymnus.

CRucifige, crucifige clamitant hora tertiarum,
Illuſus induitur veſte purpurarum:
Caput eius pungitur corona ſpinarum:
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

Antiphona. Funeſtę mortis damnatur ſupplicium, dum Chriſtus in cruce noſtra deſtruxit vincula criminum.
℣. Adoramus te Chriſte. Oratio.
Domine Ieſu Chriſte Fili Dei, vt ſupra.

## AD SEXTAM.

℣. Per ſignum, &c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat, &c. Hymnus.

HOra ſexta Ieſus eſt cruci conclauatus:
Et cum latronibus pēdens eſt deputatus:
Præ tormentis ſitiens felle ſaturatus:
Agnus crimen diluens ſic ludificatus.

Antiphona. Per lignum ſerui facti ſumus, & per ſanctam Crucem liberati ſumus: fructus arboris ſeduxit nos, Filius Dei redemit nos.

℣. Adoramus te Chriſte.

Oratio. Domine Ieſu Chriſte. vt ſuprà.

## AD NONAM.

℣. Per ſignum, &c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat, &c. Hymnus.

HOra nona Dominus Ieſus expirauit,
Eli clamans ſpiritum Patri commendauit:





Latus eius lancea milles perforauit,
Terra tunc contremuit, & ſol obſcurauit.

Antiphona. O magnum pietatis opus: mors mortua tunc eſt, in ligno quando mortua vita fuit.

℣. Adoramus te Chriſte.

Oratio. Domine Ieſu Chriſte. vt ſuprà.

## AD VESPERAS.

℣. Per ſignum, &c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

DE Cruce deponitur Hora veſpertina.
Fortitudo latuit in mente diuina:
Talem mortem ſubijt vitæ medicina:
Heu corona gloriæ iacuit ſupina.

Antiphona. O Crux benedicta, quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera: ſuper omnia ligna cedrorum, tu ſola excelſior, in qua mundi ſalus pependit, in qua Chriſtus triumphauit, & mors mortem ſuperauit in æternum.

℣. Adoramus te Chriſte.

Oratio. Domine Ieſu Chriſte Fili Dei. vt ſuprà.

## AD COMPLETORIVM.

℣. Per ſignum, &c. ℣.

COnuerte nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et auerte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

### Hymnus.

HOra Completorij datur ſepulturæ:
Corpus Chriſti nobile, ſpes vitæ futuræ:
Conditur aromate: complentur Scripturæ:
Iugis ſit memoria mortis ſuæ duræ.

Antiphona. Saluator mundi ſalua nos, qui per crucem, & ſanguinem tuum redemiſti nos: auxiliare nobis, te deprecamur Deus noſter.
℣. Adoramus te Chriſte.
Oratio. Domine Ieſu Chriſte Fili Dei. vt ſuprà.

### Commendatio.

HAs horas canonicas cum deuotione.
Tibi Chriſte recolo pia ratione:





Vt qui pro me paſſus es amoris ardore,
Sis mihi ſolatium mortis in agone.
Amen.






# OFFICIVM S. SPIRITVS.

## AD MATVTINVM.

℣. Spiritus ſancti gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra. ℟. Amen.

Sic dicatur in principio omnium Horarum Sancti Spiritus. ℣.

DOmine labia mea aperies. ℟. Et os meum annunciabit laudem tuam. ℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluia.

A Septuageſima vſque ad Paſcha, loco Alleluia, dicitur, Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

NObis ſancti Spiritus gratia ſit data.
De qua Virgo virginũ fuit obumbrata,
Cum per ſanctum Angelum fuit ſalutata,
Verbum caro factum eſt, virgo fœcundata.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple tuo-

rum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.
℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renouabis faciem terræ. Oremus.
ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget & ab omnibus tueatur aduerſis. Per Dominum, eiuſdem.

AD PRIMAM.

℣. Spiritus ſancti,&c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, &c. Hymnus.

DE Virgine Maria Chriſtus fuit natus,
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus:
Reſurgens diſcipulis fuit demonſtratus:
Et ipſis cernentibus in cælos eſt eleuatus.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple.
℣. Emitte ſpiritum tuum.
Oratio. Adſit nobis, quæſumus. vt ſuprà.

AD TERTIAM.

℣. Spiritus ſancti,&c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri,&c.





Hymnus.

SVum ſanctum Spiritum Deus delegauit:
In die Pentecoſtes Apoſtolos confortauit:
Et de linguis igneis ipſos inflammauit.
Relinquere orphanos nos denegauit.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple.
℣. Emitte ſpiritum tuum.
Oratio. Adſit nobis, quæſumus. vt ſuprà.

AD SEXTAM.

℣. Spiritus ſancti,&c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, &c. Hymnus.

SEptiformem gratiam tunc acceptauerunt,
Quare idiomata cuncta cognouerunt.
Ad diuerſa climata mundi receſſerunt,
Et fidem Catholicam tunc prædicauerunt.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple.
℣. Emitte ſpiritum tuum.
Oratio. Adſit nobis quæſumus. vt ſuprà.

AD NONAM.

℣. Spiritus ſancti,&c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio,&c.

## Hymnus.

SPiritus Paraclitus fuit appellatus.
Donum Dei, caritas, fons viuificatus:
Spiritalis vnctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, chariſma vocatus.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple.
℣. Emitte ſpiritum tuum.
Oratio. Adſit nobis, quæſumus. vt ſuprà.

## AD VESPERAS.

℣. Spiritus ſancti, &c. ℣.

DEus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, &c. Hymnus.

DExteræ Dei digitus, virtus ſpiritalis,
Nos defendat, eruat ab omnibus malis:
Vt nobis non noceat dæmon infernalis.
Protegat, & nutriat, foueatque ſub alis.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple.
℣. Emitte ſpiritum tuum.
Oratio. Adſit nobis, quæſumus. vt ſuprà.

## AD COMPLETORIVM.

℣. Spiritus ſancti, &c. ℣.

COnuerte nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et auerte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adiutorium meum intende.





℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, &c. Hymnus.

SPiritus Paraclitus nos velit iuuare.
Greſſus noſtros regere, & illuminare:
Vt cum Deus venerit omnes iudicare;
Nos velit ad dexteram omnes appellare.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple.
℣. Emitte ſpiritum tuum.
Oratio. Adſit nobis quæſumus. vt ſuprà.

## Commendatio.

HAs Horas canonicas cum deuotione,
Tibi ſancte Spiritus pia ratione
Dixi, vt nos viſites inſpiratione,
Et viuamus iugiter in cæli regione. Amen.

# EXERCITIVM QVOTIDIANVM.

Cum mane ſurgis, muniens te ſigno ſanctæ Crucis, dic.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Deinde iunctis manibus ante pectus, dic. Amen.

Benedicta ſit ſancta, & indiuidua Trinitas nunc, & ſemper, & per infinita ſæculorum ſæcula. Pater noſter. Aue Maria. Credo.

COnfiteor Deo omnipotēti, beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & omnibus Sāctis, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideò precor beatā Mariam ſemper Virginē, beatum Michaelē Archangelū, beatum Ioānem Baptiſtā, ſanctos Apoſtolos Petrum, & Paulū, & omnes Sanctos orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

MIſereatur noſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis noſtris, perducat nos ad vitam æternam. ℟. Amen.





INdulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti: tua nos hodie ſalua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Oratio.

DIrigere, & ſanctificare regere, & gubernare dignare Domine Deus, Rex cæli, & terræ, hodie corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum: vt hic, & in æternum, te auxiliante, ſalui, & liberi eſſe mereamur Saluator mundi. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

ANgele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.

Benedictio. Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam, & fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

Cum mane, meridie, & veſperi ſalutationis Angelicæ ſignum datur.

Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto. Aue Maria, gratia, &c.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Aue Maria.

Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Aue Maria.

Oratio.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, vt qui Angelo nũciãte Chriſti Filij tui incarnationem cognouimus, per paſſionem eius, & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eumdẽ Chriſtum Dñm noſtrum. Amen. Fidelium animæ per miſericordiã Dei requieſcant in pace. Amẽ.

Ante inchoationem Officij. Oratio.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſe-





quere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio, à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Poſt Officium. Oratio.

SVſcipe, clementiſſime Deus, precibus, & meritis beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, & ſanctarum officium ſeruitutis noſtræ, & ſi quid dignum laude egimus propitius reſpice, & quod negligenter actum eſt, clementer ignoſce, qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Exeundo domum, dic.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia: Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.

Intrando in Eccleſiam.

Domine in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

In aſperſione aquæ benedictæ.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

## Ad ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum. Oratio.

Aue verum corpus natum de Maria virgine, verè paſſum, immolatum in Cruce pro homine: cuius latus perforatum, vnda fluxit ſanguine. Eſto nobis prægustatum in mortis examine. O dulcis, ò pie, ò Ieſu fili Mariæ miſerere mei. Amen.

## Oratio ante Miſſam.

CLementiſſime Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui non ſemel tantum Filium tuum vnigenitum in Cruce noſtræ reparationi impendiſti: ſed eius oblationem tibi acceptiſſimam in Eccleſia tua quotidie renouari, ad eius fructum in nobis renouandum, voluiſti: tribue nobis, quæſumus: tam admirando huic, & tam ſalutari tuæ pietatis myſterio ſic attentè, reuerenter, & amanter intereſſe: vt eius participationem, quam efficaciſſimè conſequi valeamus. Per eumdem Dominum noſtrum.

## Benedictio menſæ pro ſæcularibus.

BEnedicite. ℟. Benedicite.

Oratio. Benedic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi.





Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

## Gratiarum actio poſt menſam.

BEnedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Oratio. Agimus tibi gratias omnipotens Deus, pro vniuerſis beneficijs tuis. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Oremus.

REtribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomē tuum vitam æternam. ℟. Amen.

## Cum vadis dormitum, muniens te ſigno ſanctæ Crucis, dic.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Deinde iunctis manibus ante pectus, dic.

Amen. Benedicta ſit ſācta, & indiuidua Trinitas nunc, & ſemper, & per infinita ſæculorū ſæcula. Pater noſter. Aue Maria. Credo. Confiteor Deo. vt ſuprà.

## Hymnus.

TE lucis ante terminum
Rerum Creator poſcimus:
Vt pro tua clementia
Sis præſul, & cuſtodia.
Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata,
Hoſtemque noſtrum comprime
Ne polluantur corpora.
Præſta Pater pijſſime,
Patrique compar vnice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne ſæculum. Amen.

Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes: vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

Cuſtodi nos Domine, vt pupillam oculi ſub vmbra alarum tuarum protege nos.

Dignare Domine nocte iſta: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.





## Oratio.

VIſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant: & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hac nocte illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.

Benedictio. Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

## Oratio præparatoria ad Confeſſionem Sacramentalem.

COnditor cęli, & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, qui me de nihilo feciſti ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, & me tuo proprio ſanguine redemiſti: quem ego peccator non ſum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare: Te ſuppliciter deprecor, & humiliter exoro, vt clementer reſpicias me ſeruum tuum nequam. Et miſerere mei, qui miſertus fuiſti mulieri Chananææ, & Mariæ Magdalenæ: qui peperciſti Publicano, & la-

troni in cruce pendenti. Tibi confiteor, Pater pijſſime peccata mea: quæ ſi volo abſcondere, non poſſum tibi Domine. Parce mihi Chriſte, quem ego nuper multum offendi cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo, & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò Domine precor tuam clementiam, qui de cælo pro mea ſalute deſcendiſti, qui Dauid à peccati lapſu erexiſti, parce mihi Domine, parce mihi Chriſte, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es creator meus, & redemptor meus, Dominus meus, & Saluator meus, Rex meus, & Deus meus. Tu es ſpes mea, & fiducia mea, gubernatio mea, & auxiliatio mea, conſolatio mea, & fortitudo mea, defenſio mea, & liberatio mea, vita mea, ſalus mea, & reſurrectio mea, lumen meum, & deſiderium meum, adiutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo, adiuua me, & ſaluus ero: guberna me, & defende me: conforta me, & conſolare me: confirma me, & lætifica me: illumina me, & viſita me. Suſcita me mortuum, quia factura, & opus tuum ſum. Domine ne deſpicias me, quia famulus, & ſeruus tuus ſum, quamuis





malus, quamuis indignus & peccator: ſed qualiſcumque ſim, ſiue bonus, ſiue malus, ſemper tuus ſum. Ad quem ego fugiam, niſi ad te vadam? Si tu me eijcis, quis me recipiet? Si tu me deſpicis, quis me aſpiciet? Recognoſce me ergo indignum ad te refugientem, quamuis ſim vilis, & immundus: quia ſi vilis, & immundus ſum, potes me mundare: ſi cæcus ſum, potes me illuminare: ſi infirmus ſum, potes me ſanare: ſi mortuus, & ſepultus ſum, potes me reſuſcitare: quia maior eſt miſericordia tua, quàm iniquitas mea: maior eſt pietas tua, quàm impietas mea: plus potes dimittere, quàm ego committere: & plus parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergo deſpicias me Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum: ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum miſerere mei, & propitius eſto mihi maximo peccatori. Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Qui dixiſti: Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat: conuerte me Domine ad te, & noli iraſci contra me. Deprecor te clementiſſime Pater, propter miſericordiam tuam ſupplico, & exoro, vt perducas me ad bonum

finem, & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem omnium peccatorum meorum. Amen.

## Oratio ante Confeſſionem Sacramentalem.

SVſcipe confeſsionem meam, pijſsime, ac clementiſsime Domine Ieſu Chriſte, vnica ſpes ſalutis animæ meæ: & da mihi, obſecro, contritionem cordis, & lacrymas oculis meis, vt defleam diebus, ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate, & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in cõſpectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorem qu ęram? Quis miſerebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananæã, & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem, ſuſcepiſti. Domine Deus meus ſuſcipe preces meas. Saluator mundi Ieſu bone, qui te crucis morti dediſti, vt peccatores ſaluos faceres, reſpice me miſerum peccatorem inuocantem nomen tuum: & noli ſic attendere malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum. Et ſi commiſi vnde me damnare potes, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles. Parce ergo mihi, qui es Saluator meus, & miſe-





rere peccatrici animæ meæ. Solue vincla eius, ſana vulnera Domine Ieſu, te deſidero, te quæro, te volo, oſtende mihi faciem tuam, & ſaluus ero. Emitte igitur, pijſſime Domine, meritis puriſſimæ, & immaculatæ ſemper virginis genitricis tuæ Mariæ, & Sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meã, quæ omnes defectus meos in veritate mihi oſtendat, quos confiteri me oportet: atque iuuet, & doceat ipſos plenè, & contrito corde explicare. Qui viuis, &c.

## Oratio poſt Confeſſionem.

SIt tibi Domine, obſecro, meritis beatæ ſemper virginis genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum grata, & accepta iſta confeſſio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & alias de ſufficientia contritionis, de puritate, & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas, & miſericordia tua: & ſecundum illam digneris me habere plenius, & perfectius abſolutum in cælo. Qui viuis, & regnas, &c.

## Oratio antè ſanctam Communionem.

AD menſam dulciſſimi conuiuij tui, pie Domine Ieſu Chriſte, ego peccator de proprijs meritis nihil præſumens, ſed de tua cõ-

fidens miſericordia, & bonitate, accedere vereor,& contremiſco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum: mentem & linguam non cautè cuſtoditam. Ergo ò pia deitas, ò tremenda maieſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro: ad te feſtino ſanandus: ſub tuam protectionem fugio:& quem iudicem ſuſtinere nequeo, Saluatorem habere ſuſpiro. Tibi, Domine, plagas meas oſtendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa, & magna pro quibus timeo: Spero miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine Ieſu Chriſte, Rex æterne, Deus, & homo crucifixus propter hominem. Exaudi me ſperantem in te: & miſerere mei pleni miſerijs, & peccatis, tu qui fontem miſerationis numquam manare ceſſabis. Salue ſalutaris victima, pro me, & omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salue nobilis, & pretioſe ſanguis, de vulneribus Crucifixi Domini mei Ieſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſanguine redemiſti. Pœnitet me peccaſſe: cupio emendare quod





feci. Aufer ergo à me clementiſſime Pater, omnes iniquitates, & peccata mea; vt purificatus mente, & corpore, dignè deguſtare merear ſancta ſanctorum: & concede, vt ſancta prælibatio corporis, & ſanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, bonorumque ſenſuum regeneratio, operumque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum inſidias firmiſſima tuitio. Amen.

## Alia Oratio S. Thomæ Aquinatis ante Communionem.

OMnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Accedo tamquam infirmus ad medicum vitæ: immundus, ad fontem miſericordiæ: cœcus, ad lumen claritatis æternæ: pauper, & egenus, ad Dominum cæli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem: lauare fœditatem: illuminare cœcitatem: ditare paupertatem: veſtire nuditatem: vt te panem Angelorum, Regem

Regum, & Dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reuerentia, & humilitate, tanta contritione, & deuotione, tanta puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæſo, Dominici corporis, & ſanguinis non ſolùm ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem, & virtutem Sacramenti. O mitiſſime Deus, da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod traxit de Virgine Maria, ſic ſuſcipere: vt corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum viuit, &c.

## Oratio S. Thomæ Aquinatis poſt Communionem.

GRatias tibi ago, Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ ſatiare dignatus es pretioſo corpore, & ſanguine Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et deprecor te, vt hæc ſancta Communio non ſit





mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio: concupiſcentiæ, & libidinis exterminatio: caritatis, & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ augmentatio: contra inſidias inimicorum omnium, tàm viſibilium, quàm inuiſibilium firma defenſio: motuum meorum tàm carnalium, quàm ſpiritualium perfecta quietatio in te vno, ac vero Deo firma adhæſio: atque mei finis felix conſummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio tuo, & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es lux vera: ſatietas plena: gaudium ſempiternum: iucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

## Alia Oratio S. Bonauenturæ poſt Communionem.

TRansfige, dulciſſime Domine Ieſu, medullas & viſcera animæ meæ ſuauiſſimo, ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera, ſerenaque, & apoſtolica ſanctiſſima caritate: vt langueat, & liqueſiat anima mea ſolo ſemper

amore, & deſiderio tui: te concupiſcat, & deficiat in atria tua, cupiat diſſolui, & eſſe tecum. Da, vt anima mea te eſuriat panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem, & saporem, & omne delectamentum ſuauitatis: te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ, & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem, & gloriam nominis tui cum humilitate, & diſcretione, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perſeuerantia vſque in finem: & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies, & tranquillitas mea, pax mea, ſuauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea, poſſeſ-





ſio mea, & theſaurus meus: in quo fixa, & firma, & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

## Alia Oratio poſt Communionem.

INeffabilem miſericordiam tuam, Domine Ieſu Chriſte humiliter exoro, vt hoc Sacramentum corporis, & ſanguinis tui, quod indignus ſuſcepi, ſit mihi purgatio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit impetratio veniæ, ſit ſtabilimẽtum gratiæ, ſit medicina vitæ, ſit memoria tuæ paſſionis, ſit contra debilitatem fomentum, ſit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, reuertentem me ſuſcipiat, titubantem me teneat, cadentem me dirigat, & perſeuerantem me in gloriam introducat. O altiſſime Deus, beatiſſima præſentia corporis, & ſanguinis tui ſic immutet palatum cordis mei, vt præter te nullam vmquam ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat vnquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti

Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## O R A T I O N E S, ſeu Meditationes de Paſſione Domini.

### Oratio de ſingulis articulis Paſſionis.

DEus, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens ad victimam duci, atque conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falſis teſtibus accuſari, flagellis, & opprobrijs vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, Cruci clauis affigi, in Cruce leuari, inter latrones deputari, felle, & aceto potari, & lancea vulnerari. Tu Domine per has ſanctiſsimas pęnas tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam crucem, & mortem tuam, libera me à pęnis inferni, & perducere digneris, quò perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſęculorum. Amen.

### Alia Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, in cuius ditione cūcta ſunt poſita, & non eſt qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ; qui dignatus es naſci, mori, & reſurgere: per myſterium ſacratiſſimi corporis tui, & per quinque vulnera, & effuſionem pretioſiſſimi ſanguinis tui, miſerere nobis ſicut tu ſcis neceſſarium eſſe animabus, & corporibus noſtris: libera nos à diaboli tentatione, & ab omnibus, quibus nos anguſtiatos eſſe cognoſcis: noſque in ſeruitio tuo vſque in finem conſerua, atque corrobora: & veram emendationem, ſpatiumque veræ pœnitentiæ nobis tribue, & remiſſionem omnium peccatorum poſt obitum: & fac nos fratres, ſorores, amicos, & inimicos inuicem diligere, & cum omnibus Sanctis tuis in regno tuo ſine fine gaudere: qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.



### Ad vulnera Chriſti. Oratio.

ROgo te Domine Ieſu per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra: è quibus emanauit ille pretioſus ſanguis quo ſumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo, & potentiſſimo telo tuæ nimiæ caritatis. Confige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea,

mea, Caritate tua vulnerata ſum: ita vt ex ipſo vulnere amoris tui vberrimæ fluant lachrymæ die, ac nocte. Percute Domine, percute obſecro, hanc duriſſimam mentem meam, pia, & valida cuſpide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potēti virtute. Qui viuis, & regnas, &c.

## Meditationes piæ de Paſſione. Chriſti.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in cruce pendentem, & coronam ſpineam in capite portantem: deprecor te, vt me tua crux liberet ab Angelo percutiente. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce vulneratum, felle, & aceto potatum: deprecor te, vt vulnera tua ſint remedium animæ meæ. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte, propter illam amaritudinem, quam pro me miſerrimo ſuſtinuiſti in cruce, maximè in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de benedicto corpore tuo: deprecor te miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pa-



Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte adoro te deſcendentem ad inferos, & liberantem captiuos deprecor te, ne permittas me illuc introire. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te reſurgentem à mortuis, aſcendentem ad cælos, ſedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, vt illuc te ſequi, & tibi præſentari merear. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte paſtor bone, iuſtos conſerua, peccatores iuſtifica, omnibus fidelibus miſerere, & propitius eſto mihi maximo peccatori. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, myrrha, & aromatibus conditum: deprecor te, vt tua mors ſit vita mea. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

## De ſeptem verbis, quæ Chriſtus in cruce pendens dixit. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, qui in cruce pendens dixiſti, Pater, dimitte illis,

non

non enim ſciunt quid faciunt: fac vt ego amore tui parcam cunctis mihi male facientibus. Et qui dixiſti latroni: Hodie mecum eris in paradiſo; fac me ita viuere, vt in hora mortis meæ dicas mihi: Hodie mecum eris in paradiſo. Et qui dixiſti matri tuæ: Mulier ecce filius tuus: deinde diſcipulo, ecce mater tua; fac vt matri tuæ me ſociet amor tuus, & caritas vera. Et qui dixiſti, Eli, Eli, lamaſabacthani: hoc eſt, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? fac me dicere in omni tribulatione, & anguſtia mea: Pater mi, Domine mi, miſerere mihi peccatori, & adiuua me Rex meus, & Deus meus, qui tuo proprio ſanguine redemiſti me. Et qui dixiſti, Sitio: fac vt ſemper ſitiam te fontem aquæ viuæ. Et qui dixiſti: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: ſuſcipe me redeuntem ad te. Qui dixiſti, conſummatum eſt; fac vt audire merear illam dulciſſimam vocem tuam, ſcilicet: veni amica mea, dilecta mea, ſponſa mea: veni vt mecum conſcendas cum Angelis, & Sanctis meis in regno meo epulari, iucundari, & commorari, per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.





## Salutationes ad omnia membra Chriſti, & ſui ipſius ad eum commendatio.

SAlue tremendum cunctis poteſtatibus caput Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum. Salue ſpecioſiſſima Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti facies pro nobis ſputis, & alapis cæſa. Saluete benigniſſimi Domini Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri oculi pro nobis lacrymis perfuſi. Salue mellifluum os gutturque ſuauiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro nobis felle, & aceto potatum. Saluete aures nobiliſſimæ Domini Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, pro nobis contumelijs, & opprobrijs affectæ. Salue collum humile Ieſu Chriſti, pro nobis colaphizatum, dorſumque ſanctiſſimum pro nobis flagellatum. Saluete venerabiles Domini noſtri Ieſu Chriſti manus, & brachia, pro nobis in cruce extenſa. Salue pectus mitiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, pro nobis in paſſione conturbatum. Salue latus glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro nobis lancea militis perforatum. Saluete

Domini Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri ſacra miſericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Saluete Domini Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri pedes adorandi, pro nobis clauis affixi. Salue totum corpus Ieſu Chriſti, pro nobis in cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum, & ſepultum. Salue ſanguis pretioſiſſime de corpore Domini Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri pro nobis effuſe. Salue ſanctiſſima Domini noſtri Ieſu Chriſti anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie, & quotidie, animam meam, vitam meam, cor, & corpus meum, omnes ſenſus, & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios, & conſanguineos meos, animas parentum, fratrum, ſororum, & omnium amicorum, ac inimicorum meorum: vt nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus inſidijs inimicorum noſtrorum viſibilium, & inuiſibilium, & nunc, & in perpetuum. Amen.

## Oratio ad Beatam Virginem Mariam.

OBſecro te Domina ſancta Maria, mater Dei, pietate pleniſſima, ſummi Regis filia, mater glorioſiſſima, mater orphanorum, conſolatio deſolatorum, via errantium, ſalus omnium in te ſperantium, virgo ante partum, virgo in partu, & virgo poſt partum: fons miſericordiæ, fons ſalutis, & gratiæ, fons pietatis, & lætitiæ: fons vitæ, & veniæ; Per illam ſanctam ineffabilem lætitiam, qua exultauit ſpiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annunciatus, & conceptus Filius Dei fuit: Et per illam ſanctam, & ineffabilem humilitatem, in qua reſpondiſti Archangelo Gabrieli, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum: Et per illud diuinum myſterium, quod tunc operatus eſt in te Spiritus ſanctus: Et per ineffabilem gratiam, pietatem, miſericordiam, amorem, & humilitatem, per quas Filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus deſcendit accipere humanam carnem in venerabiliſsimo vtero tuo: Et per glorioſiſsima quindecim gaudia, quæ habuiſti de Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto: Et per illam ſanctam & maximam compaſsionem, & acerbiſsimum cordis dolorem, quem habuiſti, quando Filium tuum Dominum

noſtrum Ieſum Chriſtum ante crucem nudatum, & in ipſa leuatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, ſitientem, amariſſimum potum fel, & acetum ori eius apponi vidiſti; Eli clamantem audiſti, & morientem vidiſti: Et per quinque vulnera eiuſdem Filij tui, & per contractionem viſcerum tuorum, præ nimio dolore vulnerum ſuorum: & per dolorem, quem habuiſti, quando vidiſti eum vulnerari: Et per fontem ſanguinis ſui, & per omnem paſſionem eius, & dolorem cordis ſui, & per fontem lacrymarum tuarum: vt cum omnibus ſanctis, & electis Dei venias, & feſtines in auxilium, & conſilium meum, in omnibus orationibus, & petitionibus meis, in omnibus anguſtijs, & neceſſitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego ſum aliquid facturus, & locuturus, aut cogitaturus omnibus diebus, ac noctibus, horis, atque momentis vitæ meæ. Et mihi famulo tuo N. impetres à dilecto Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto virtutum omnium complementum, cum omni miſericordia, & conſolatione, omni conſilio, & adiutorio, omni benedictione, & ſanctificatione, omni ſalua-





tione, pace, & proſperitate, & omni gaudio, & alacritate: etiam abundantiam omnium bonorum ſpiritualium, & corporalium, & gratiam ſancti Spiritus, qui me bene per omnia diſponat, animam meam cuſtodiat, corpus meum regat, & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes ſanctas inſtituat, præterita mala indulgeat, præſentia emendet, & futura moderetur: vitam honeſtam, & caſtam mihi tribuat: fidem, ſpem, & caritatem mihi præſtet: articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis obſeruare me faciat: ſenſus corporis mei regat, & protegat, & à peccatis mortalibus me ſemper liberet, & defendat vſque in finem meum: hanc orationem ſuppliciter exaudiat, & ſuſcipiat, & vitam ęternam mihi tribuat. Audi, & intercede pro me dulciſſima Virgo Maria mater Dei, & miſericordiæ. Amen.

## Alia Oratio ad eamdem, & ſimul ad B. Ioannem Euangeliſtam.

O Intemerata, & in ęternum benedicta, ſingularis, atque incomparabilis virgo Dei genitrix Maria gratiſſimum Dei templum, Spiritus ſancti ſacrarium, ianua regni cęlorum, per quam poſt Deum totus viuit orbis terra-

rum. Inclina mater miſericordiæ aures tuæ pietatis indignis ſupplicationibus meis: & eſto mihi maximo peccatori pia, & propitia, in omnibus auxiliatrix. O Ioannes beatiſſime, Chriſti familiaris, & amice, qui ab eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto virgo es electus, & inter cæteros magis dilectus, atque in myſterijs cæleſtibus vltra omnes imbutus: Apoſtolus enim, & Euangeliſta factus es præclariſſimus: Te etiam inuoco cum Maria matre eiuſdem Domini Ieſu Chriſti Saluatoris, vt mihi opem tuam cum ipſa conferre digneris. O duæ gemmæ cæleſtes, Maria, & Ioannes. O duo luminaria diuinitus ante Deum lucentia, veſtris radijs ſcelerum meorum effugate nubila. Vos enim eſtis illi duo, in quibus Vnigenitus Dei Filius ob ſinceriſſimæ virginitatis meritum, dilectionis ſuæ confirmauit priuilegium, in cruce pendens vni veſtrum ita dicens: Mulier, ecce filius tuus: Deinde ad alium: Ecce mater tua. In huius ergo tam ſacratiſſimi amoris dulcedine, qua tunc ore Dominico velut mater, & filius ad inuicem coniuncti eſtis, vobis duobus ego miſerrimus peccator commendo hodie corpus, & animam meam: vt in





omnibus horis, atque momentis, interius, & exterius firmi cuſtodes, & pij apud Deum interceſſores mihi exiſtere dignemini. Poſcite mihi, quæſo, corporis, & animæ ſalutem. Agite, quæſo, agite veſtris glorioſis precibus, vt cor meum inuiſere, & inhabitare dignetur ſpiritus almus gratiarum largitor optimus: qui me à cunctis vitiorum ſordibus expurget, virtutibus ſacris illuſtret, & exornet: in dilectione Dei, & proximi mei perfectè ſtare, & perſeuerare me faciat, & poſt huius vitæ curſum ad gaudia me ducat electorum ſuorum benigniſſimus Paraclitus, Qui cum Patre, & Filio viuit, & regnat in ſæculorum ſæcula. Amen.

## Planctus B. Mariæ Virginis.

STabat Mater doloroſa
Iuxta crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contriſtantem, & dolentem
Pertranſiuit gladius.
O quàm triſtis, & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Vnigeniti.

Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat cum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo, qui non fleret
Chriſti matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit Ieſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum,
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eia mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris,
Fac vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum,
In amando Chriſtum Deum,
Vt ſibi complaceam.
Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,





Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara
Mihi iam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Chriſti mortem,
Paſſionis fac conſortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus, & accenſus,
Per te Virgo ſim defenſus
In die Iudicij.
Fac me cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur

Paradiſi gloria, Amen.

℣. Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſiuit. ℟. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oratio.

INteruueniat pro nobis quæſumus Domine Ieſu Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam beata Virgo Maria mater tua: cuius ſacratiſſimam animam in hora tuæ paſſionis doloris gladius pertranſiuit. Per te Ieſu Chriſte Saluator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

## Commendatio ad Virg. Mariam.

O Domina mea ſancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem ſpem meam, & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera ſecundum tuam, tuique Filij voluntatem. Amen.





## Alia Oratio ad Virginem.

O Maria Dei Genitrix, & Virgo gratioſa, omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera: per illud magnum gaudium, quo conſolata es, quando cognouiſti Dominum Ieſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe, ſis conſolatrix animæ meę, & apud eumdem tuum, & Dei natum vnigenitum in die nouiſſimo, quando cum anima & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuuare, vt perpetuæ damnationis ſententiam, per te pia mater, & virgo valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter peruenire. Amen.

## Oratio D. Gregorij Papæ, quæ habetur in fine explanationum Septem Pſalm. Pœnitentialium.

BOne Ieſu verbum Patris, ſplendor paternę gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere, doce me facere voluntatem tuam, vt à ſpiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perueniā ciuitatem: vbi eſt dies æternus, & vnus omniū ſpiritus: vbi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & ęterna trāquillitas, & trāquilla felici-

tas, & felix ſuauitas, & ſuauis iucunditas: vbi tu Deus cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## Oratio ad Ieſum.

O Bone Ieſu, ò pijſſime Ieſu, ò dulciſſime Ieſu, ò Ieſu Fili Mariæ Virginis, plene miſericordia, & pietate. O dulcis Ieſu, ſecundum magnam miſericordiam tuam miſerere mei. O clementiſſime Ieſu, te deprecor per illum ſanguinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, vt abluas omnes iniquitates meas, & in me reſpicias miſerum, & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Ieſu inuocantem. O nomen Ieſu, nomen dulce, nomen Ieſu, nomen delectabile, nomen Ieſu, nomen confortans: quid eſt enim Ieſus, niſi Saluator? Ergo Ieſu propter nomen ſanctum tuum eſto mihi Ieſus, & ſalua me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti. O bone Ieſu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Ieſu, recognoſce quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt. O benigniſſime Ieſu, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi, nè





damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Ieſu, neque omnes, qui deſcendunt in infernum. O amantiſſime Ieſu, ò deſideratiſſime Ieſu, ò mitiſſime Ieſu, ò Ieſu, Ieſu, Ieſu admitte me, intrare in numerum electorum tuorum. O Ieſu ſalus in te credentium, ò Ieſu ſolatium ad te confugientium, ò Ieſu dulcis remiſſio omnium peccatorum. O Ieſu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, caritatem, caſtitatem, & humilitatem: vt poſſim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſeruire, & in te gloriari, & omnes, qui inuocant nomen tuum, quod eſt Ieſus. Amen.

## Oratio Beati Thomæ de Aquino.

CONcede mihi miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt, ardenter concupiſcere, prudenter inueſtigare, veraciter agnoſcere, perfectè adimplere ad laudem, & gloriam nominis tui. Ordina ſtatum meum: & quod à me requiris vt faciam, tribue vt ſciam: & da exequi ſicut oportet, & expedit animæ meæ.

Da mihi Domine Deus meus inter proſpera, & aduerſa non deficere: vt in illis non extollar, & in iſtis non deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam: niſi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi. Vileſcant mihi Domine omnia tranſitoria, & chara mihi ſint omnia tua propter te, & tu Deus præter omnia. Tædeat me gaudij, quod eſt ſine te: nec aliquid cupiam, quod eſt extra te. Delectet me Domine labor, qui eſt pro te: & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſine te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me Domine Deus obedientem ſine contradictione: pauperem ſine defectione, caſtum ſine corruptione, patientem ſine murmuratione, humilem ſine fictione, & hilarem ſine diſſolutione, triſtem ſine deiectione, maturum ſine grauitate, agilem ſine leuitate, timentem ſine deſperatione, veracem ſine duplicitate, operantem bona ſine præſumptione, proximum corrigere ſine elatione, ipſum ædificare verbo, & exemplo ſine ſimulatione. Da mihi Domine Deus cor peruigil, quod nulla abducat à te curio-





rioſa cogitatio: da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio, da rectum, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio, da inuictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet peruerſa, & violenta affectio. Largire mihi Domine Deus meus intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te inuenientem, conuerſationem tibi placentem, perſeuerantiam te fideliter expectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem: tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs vti in via per gratiam, & tandem tuis gaudijs in patria perfrui per gloriam. Qui cum Deo, &c.

## Alia Oratio S. Thomæ de Aquino ante Studium.

CReator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ tres Angelorum Hierarchias annotaſti, & eas ſuper cælum empyreum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſimè partes vniuerſi diſtribuiſti: Tu, inquam, qui verus fons luminis, & ſapientiæ diceris, atque ſupereminens principium: infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuæ radium

claritatis: duplices, in quas natus ſum, à me remouens tenebras, peccatum ſcilicet, & ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis eſſe diſertas, linguam meam erudias, atque in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum Dominum, &c.

## Oratio in afflictione.

O Dulciſsime Domine Ieſu Chriſte, verus Deus, qui de ſinu ſummi Patris omnipotentis miſſus es in mundum peccata relaxare, afflictos redimere, in carcere poſitos ſoluere, diſperſos congregare, peregrinos in ſuam patriam reducere, contritis corde miſereri, dolentes, & lugentes conſolari. Dignare Domine Ieſu Chriſte abſoluere, & liberare me famulum tuum N. de afflictione, & tribulatione, in qua poſitus ſum. Et tu Domine, qui genus humanum, inquantum homo, à Deo Patre omnipotente in cuſtodiam recepiſti: & ex pietate tua, crudeli paſsione nobis paradiſum pretioſo ſanguine tuo mirabiliter mercatus es: & inter Angelos, & homines pacem feciſti: tu Domine Ieſu Chriſte digneris inter me, & inimicos meos ſtabilire, & confirmare concordiam, & pacem: & gratiam tuam ſuper me oſtendere, & infundere miſericordiam tuam: & omne odium, & iracundiam inimicorum meorum, quod contra me habent, digneris extinguere, & mitigare: ſicut iracundiam, & odium Eſau abſtuliſti, quod habebat aduerſus Iacob fratrem ſuum, ita Domine Ieſu Chriſte ſuper me famulum tuum N. brachium tuum, & gratiam tuam extendere, & me liberare digneris ab omnibus me odientibus. Et tu Domine Ieſu Chriſte, ſicut liberaſti Abraham de manibus Chaldæorum, & filium eius Iſaac de immolatione ſacrificij cum ariete, & Iacob de manu Eſau fratris ſui; & Ioſeph de manu fratrum ſuorum, Noë per arcam diluuij, & Loth de ciuitate Sodomorum, & famulos tuos, Moyſen, & Aaron, & populum Iſraelem de manu Pharaonis, & de ſeruitute Aegypti, Dauid regem de manu Sauli & Goliæ gigantis, Suſannam de falſo crimine & teſtimonio, Iudith de manu Holofernis, Danielem de lacu leonum, tres pueros Sidrach, Miſach, & Abdenago

de camino ignis ardentis, Ionam de ventre cæti, & filiam Chananææ, quæ erat tormentata per diabolum, & Adam de profundo puteo inferni cum pretioſiſſimo ſanguine tuo, & Petrum de mari, & Paulum de vinculis: ita me famulum tuum N. dulciſſime Domine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, liberare digneris ab omnibus inimicis meis, & ſuccurrere in adiutorium meum; per ſancta beneficia tua, per ſanctam incarnationem tuam, quam accepiſti vt homo de Virgine Maria: per ſanctam natiuitatem tuam, per famem, per ſitim, per frigus, per calores, per labores & afflictiones, per ſputa, per alapas, per flagella, per clauos, per lanceam, per ſpineam coronam, per potationem fellis & aceti, per ſæuiſſimam mortem crucis, per ſeptem verba, quæ pendens in cruce dixiſti: ſcilicet Deo Patri omnipotenti; Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Dixiſti Domine latroni in Cruce pendenti: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo: Dixiſti Domine Patri tuo, Eli, Eli lammaſabacthani: quod eſt interpretatum; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Dixiſti Domine matri tuæ, Mulier ecce filius tuus:





Deinde diſcipulo, Ecce mater tua: oſtendens curam te habere tuorum amicorum: Dixiſti Domine, Sitio ſcilicet ſalutem animarum ſanctarum, quæ in limbo fuerunt, & noſtram cupiendo: Dixiſti Domine Patri tuo, In manus tuas commendo ſpiritum meum: Dixiſti Domine, conſummatum eſt, ſignificans labores, & dolores, quos pro nobis miſeris ſuſcepiſti, iam finiri. Propter hoc etiam rogo te, redemptor Domine Ieſu Chriſte, vt me famulum tuum N. cuſtodias ab hoſte maligno, & ab omni periculo hic in præſenti, & in futuro. Defende me per deſcenſionem tuam ad inferos, per ſanctam reſurrectionem tuam, & frequentem diſcipulorum tuorum conſolationem, per admirabilem aſcenſionem tuam, per aduentum Spiritus ſancti Paracliti, per diem tremendi iudicij: per hæc omnia exaudi me Domine: Et per cuncta beneficia tua, & etiam pro cunctis beneficijs tuis mihi famulo tuo collatis: quia tu me feciſti ex nihilo: tu produxiſti me: tu ad fidem ſanctam tuam perduxiſti me, & contra diaboli tentationem me præmuniſti, vitam æternam promittendo. Propter iſta, & omnia alia, quæ oculus

non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, rogo te dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, vt ab omnibus periculis animæ, & corporis pro tua pietate, & miſericordia, me famulum tuum N. nunc, & ſemper liberare digneris. Et poſt huius vitæ curſum ad te Deum viuum & verum me perducere digneris: Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

## Pſalmus in tribulatione.

QVi habitat in adiutorio Altiſſimi, * in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Suſceptor meus es tu, & refugium meum:* Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, * & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: * & ſub penis eius ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: * non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris:* ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis:* ad te autem non appropinquabit.





Verumtamen oculis tuis conſiderabis: * & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: * altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: * vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis: * & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: * cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

## Oratio.

DEus, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mærentium non ſpernis affectum, adeſto precibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, eaſque cle-

menter exaudi: vt quicquid contra nos diabolicæ, atque humanæ moliuntur aduerſitates, ad nihilum redigatur, & conſilio tuæ pietatis allidatur: quatenus nullis aduerſitatibus læſi, ſed de omni tribulatione, & anguſtia erepti, in Eccleſia tua tibi gratias referamus. Dimitte Domine peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, quam precamur vt humilitatem noſtram attendas, vincula ſoluas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, aduerſitatem repellas, effectumque petitionis noſtræ largiens, ſupplices tuos clementer exaudias. Per Dominum noſtrum.

## Symbolum S. Athanaſij.

QVicumque vult ſaluus eſſe: * ante omnia opus eſt, vt teneat catholicam fidem.

Quam, niſi quiſque integram, inuiolatamque ſeruauerit: * abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem catholica hæc eſt: * vt vnum Deũ in Trinitate; & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes perſonas: * neque ſubſtantiam ſeparantes.





Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij: * alia Spiritus ſancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas: * æqualis gloria, coæterna maieſtas.

Qualis Pater, talis Filius, * talis Spiritus ſanctus.

Increatus Pater, increatus Filius: * increatus Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius: * immenſus Spiritus ſanctus.

Aeternus Pater, æternus Filius: * ęternus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni: * ſed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi: * ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: * omnipotens Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: * ſed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: * Deus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij: * ſed vnus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: * Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: * ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim vnamquamque perſonam Deum, ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: * ita tres Deos, aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: * nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: * non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio: * non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij: * vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus: * ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſuprà dictum eſt: * & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: * ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: * vt in-



incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur: * quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: * & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: * ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis Patri ſecundum diuinitatem: * minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit, & homo: * non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem: * ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ: * ſed vnitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: * ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos: * tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: * inde venturus eſt iudi-

dicare viuos, & mortuos.

A d cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: * & reddituri ſunt de factis proprijs rationem.

E t qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam:* qui vero mala, in ignem æternum.

H æc eſt Fides Catholica: * quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

G loria Patri, & Filio, &c.

## Oratio à Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano VIII. edita.

ANte oculos tuos Domine culpas noſtras ferimus; & plagas, quas accepimus conferimus.

Si penſamus malum, quod fecimus minus eſt quod patimur, maius eſt quod meremur.

Grauius eſt quod commiſimus, leuius eſt, quod toleramus.

Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas noſtra teritur, & iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur.





Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat.

Si expectas, non corrigimur: Si vindicas non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus: obliuiſcimur poſt viſitationem quod fleuimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: Si ſuſpenderis gladium, promiſſa non ſoluimus.

Si ferias, clamamus, vt parcas: Si peperceris, iterum prouocamus, vt ferias.

Habes Domine confitentes reos: Nouimus, quod niſi dimittas, recte nos perimus.

Præſta Pater omnipotens ſine merito, quod rogamus, qui feciſti ex nihilo, qui te rogarent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

℣. Gregem tuum Paſtor æterne non deſeras.

℟. Sed per beatos Apoſtolos tuos perpetua defenſione cuſtodias. ℣. Protege Domine populum ad te clamantem, & Apoſtolorum tuorum patrocinio confidentem.

℟. Perpetua defenſione cuſtodias.

℣. Orate pro nobis Sancti Apoſtoli Dei.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

IMplorent Clementiſſime Domine noſtris opportunam neceſſitatibus opem deuotè à nobis prolata meditatio, qua ſanctus olim Ioannes Chryſoſtomus, in hac Baſilica conditus, te cum beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo repræſentauit ſic colloquentem: Circumdate hanc nouam Sion, & circumuallate eam, hoc eſt, cuſtodite, munite, precibus firmate, vt quando iraſcor in tempore,& orbem terræ concutio, aſpiciens Sepulchrum veſtrum numquam deſiturum, & quæ libenter propter me geritis ſtigmata, iram miſericordia vincam, & ob hanc præcipiam veſtram interceſſionem: Etenim quando Sacerdotium, & Regnum video lacrymari, ſtatim quaſi compatiens ad commiſerationem flector, & illius meæ vocis reminiſcor: Protegam vrbem hanc propter Dauid ſeruum meum, & Aaron





ſanctum meum. Domine Fiat, Fiat. Amen, Amen.

# ITINERARIVM.

In ipſo itineris ingreſſus, ſi ſolus fuerit, dicat in ſingulari; ſi cum ſocijs, in plurali, Antiph.

IN viam pacis. Canticum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. fol. 32.

In fine. Gloria Patri. Poſtea repetitur Antiph. In viam pacis,& proſperitate dirigat me, ſi fuerit ſolus, nos, ſi fuerint ſocij, omnipotens,& miſericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur mecum, vel nobiſcum, in via, vt cum pace, ſalute, & gaudio reuertar, vel reuertamur, ad propria. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ſecreto. ℣. Et ne nos inducas. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac ſeruos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Benedictus Dominus die quotidie.

℟. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. ℣. Vias tuas Domine de-

monſtra nobis. ℟. Et ſemitas tuas edoce nos.
℣. Vtinam dirigantur viæ noſtræ. ℟. Ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. ℣. Erunt praua in directa. ℟. Et aſpera in vias planas. ℣. Angelis ſuis Deus mandauit de te. ℟. Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Iſrael per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te, ſtella duce, pādiſti: tribue nobis quæſumus iter proſperum, tempuſque tranquillum: vt Angelo tuo ſancto comite, ad eum, quò pergimus locum, ac demùm ad æternæ ſalutis portum peruenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Vr Chaldæorum eductum, per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodiſti: quæſumus, vt nos famulos tuos cuſtodire digneris: eſto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu vmbraculum, in pluuia, & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in aduerſitate præſidium, in lubrico baculus, in

nau-



naufragio portus: vt, te duce, quò tendimus, proſperè perueniamus, & demùm incolumes ad propria redeamus.

ADeſto, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo ſemper protegamur auxilio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt familia tua per viam ſalutis incedat: & beati Ioannis præcurſoris hortamenta ſectando ad eum, quem prædixit, ſecura perueniat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus: per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Procedamus in pace.
℟. In nomine Domini. Amen.





# PASSIO
# DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,
## Secundum Matthæum. Cap. 26.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ✠ Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur. C Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem. S Nō in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. C Cum Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & eſtudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes. S Vt quid perditio hæc? potuit enim vngentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus. C Sciens autem Ieſus, ait illis. ✠ Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me. Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum: me autem nō ſemper habebitis: Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliēdum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatū fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hęc fecit in memoriam eius. C Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad principes ſacerdotū: & ait illis: S Quid vultis mihi dare, & ego vobis

eum tradam? C At illi conſtituerunt ei triginta argẽteos.
Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.
Prima autem die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad
Ieſum, dicẽtes: S Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?
C At Ieſus dixit: ✠ Ite in ciuitatem ad quemdam, & di-
cite ei: Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te
facio Paſcha cum diſcipulis meis. C Et fecerunt diſcipu-
li ſicut conſtituit illis Ieſus, & parauerunt Paſcha. Ve-
ſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſci-
pulis ſuis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia
vnus veſtrum me traditurus eſt. C Et cõtriſtati valde cæ-
perunt ſinguli dicere: S Numquid ego ſum Domine? C
At ipſe reſpondens, ait: ✠ Qui intingit mecum manum
in paropſide, hic me tradet. Filius quidem hominis va-
dit, ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi, per
quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus nõ
fuiſſet homo ille. C Reſpondens autem Iudas, qui tradi-
dit eum, dixit: S Nũquid ego ſum Rabbi? Ait illi: ✠ Tu
dixiſti. C Cænantibus autem eis, accepit Ieſus panem, &
benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: ✠
Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. C Et acci-
piens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: ✠ Bibite
ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamẽ-
ti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorũ.
Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine
vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum
nouum in regno Patris mei. C Et hymno dicto exierunt
in montem Oliueti. Tunc dicit illis Ieſus: ✠ Omnes vos
ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt
enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.





Poſtquã autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæã.
C Reſpondens autem Petrus, ait illi: S Et ſi omnes ſcan-
dalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. C
Ait illi Ieſus: ✠ Amen dico tibi, quia in hac nocte, ante-
quam gallus cantet, ter me negabis. C Ait illi Petrus: S
Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. C
Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. Tunc venit Ieſus
cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit di-
ſcipulis ſuis: ✠ Sedete hic donec vadam illuc, & orem.
C Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cæpit cõ-
triſtari, & mæſtus eſſe. Tunc ait illis. ✠ Triſtis eſt anima
mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic, & vigilate mecum.
C Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orãs,
& dicens: ✠ Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix
iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. C Et
venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, &
dicit Petro: ✠ Sic, non potuiſtis vna hora vigilare mecũ?
Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiri-
tus quidem promptus eſt, caro autem infirma. C Iterum
ſecundò abijt, & orauit, dicẽs: ✠ Pater mi, ſi non poteſt
hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua: C
Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim
oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum, abijt & ora-
uit tertiò, eumdem ſermonem, dicens. Tunc venit ad di-
ſcipulos ſuos, & dicit illis: ✠ Dormite iam & requieſci-
te: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur
in manus peccatorũ. Surgite eamus: ecce appropinqua-
uit qui me tradet. C Adhuc eo loquẽte: ecce Iudas vnus
de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs,
& fuſtibus, miſſi à principibus ſacerdotum, & ſeniori-

bus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: S Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. C Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit: S Aue Rabbi. C Et oſculatus eſt eũ. Dixitq; illi Ieſus: ✠ Amice, ad quid veniſti? C Tũc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his, qui erant cum Ieſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiẽs ſeruum principis ſacerdotum amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Ieſus: ✠ Cóuerte gladium tuum in locũ ſuum. Omnes, enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia nó poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorũ? Quomodo ergo implebuntur Scripturę, quia ſic oportet fieri? C In illa hora dixit Ieſus turbis: ✠ Tamquã ad latronẽ exiſtis cum gladijs, & fuſtibus cóprehendere me, quotidie apud vos ſedebam docens in tẽplo, & non me tenuiſtis. C Hoc autẽ totum factum eſt, vt adimplerentur ſcripturæ Prophetarum. Tũc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caiphã principem ſacerdotũ, vbi Scribæ, & ſeniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur eũ à longe, vſque in atriũ principis ſacerdotũ. Et ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, vt videret finẽ. Principes autẽ ſacerdotum, & omne conciliũ quærebãt falſum teſtimoniũ contra Ieſum, vt eũ morti traderent: & non inuenerunt, cũ multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſimè autẽ venerunt duo falſi teſtes, & dixerũt: S Hic dixit: Poſſum deſtruere tẽplum Dei, & poſt triduum reædificare illud. C Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: S Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſũ te teſtificantur?





C Ieſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi: S Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. C Dicit illi Ieſus: ✠ Tu dixiſti: Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedẽtem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cęli. C Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: S Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus: ecce nũc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? C At illi reſpondẽtes, dixerunt. S Reus eſt mortis. C Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autẽ palmas in faciẽ eius dederũt, dicẽtes. S Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit. C Petrus verò ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, dicẽs: S Et tu cum Ieſu Galilæo eras. C At ille negauit corã omnibus, dicens: S Neſcio quid dicis. C Exeunte aũt illo ianuã, vidit eũ alia ancilla, & ait his, qui erãt ibi: S Et hic erat cũ Ieſu Nazareno. C Et iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominẽ. Et poſt puſillũ acceſſerũt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: S Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit. C Tunc cępit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat: Priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit amarè. Mane autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotũ, & ſeniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eũ, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Tunc vidẽs Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicẽs, S Peccaui, tradens ſanguinem

iuſtum. C At illi dixerunt: S Quid ad nos? tu videris. C Et proiectis argẽteis in templo, receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: S Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt. C Cõſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argẽteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſrael: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut cõſtituit mihi Dominus. Ieſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogauit eum præſes, dicens: S Tu es Rex Iudæorum? C Dicit illi Ieſus: ✠ Tu dicis. C Et cum accuſaretur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpõdit. Tunc dicit illi Pilatus: S Nõ audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? C Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehemẽter. Per diem autem ſolemnẽ conſueuerat præſes populo dimittere vnum vinctum, quem voluiſſent. Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: S Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? C Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſẽt eum. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eũ vxor eius, dicens: S Nihil tibi, & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. C Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, Ieſum vero perderent. Reſpondens autem præſes, ait illis: S Quem vultis vobis de duobus di-





mitti? C At illi dixerunt. S Barabbam. C Dicit illis Pilatus: S Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? C Dicũt omnes: S Crucifigatur. C Ait illis præſes: S Quid enim mali fecit? C At illi magis clamabant, dicentes: S Crucifigatur. C Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: S Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis. C Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: S Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. C Tunc dimiſit illis Barabbam: Ieſum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem: & exeuntes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: S Aue rex Iudæorum. C Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebãt caput eius. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum clamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum guſtaſſet, noluit bibere. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes: vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et ſedentes ſeruabant eum. Et impoſue-

runt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: HIC EST IESVS REX IVDAEORVM. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris. Prętereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: S Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: ſalua temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. C Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis, & ſenioribus dicebant: S Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc: ſi vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei ſum. C Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens: ✠ Eli, Eli, lammaſabacthani? C Hoc eſt: ✠ Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? C Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: S Eliam vocat iſte. C Et continuò currens vnus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri verò dicebant: S Sine videamus, an veniat Elias liberans eum. C Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Hic genuflectitur, & pauſatur aliquantulum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.





Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: S Verè Filius Dei erat iſte. C Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathęa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſyndone munda. Et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.

Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergò cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium: nè fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouiſſimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.





# PASSIO
# DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
## Secundum Marcum. Cap. 14.

IN illo tempore: Erat Paſcha, & azyma poſt biduum, & quærebant ſummi ſacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Dicebãt autẽ: S Nõ in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. C Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet: venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: S Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? Poterat enim vnguẽtum iſtud venundari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. C Et fremebant in eam. Ieſus autem dixit: ✠ Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me. Sẽper enim pauperes habetis vobiſcum: & cum volueritis, poteſtis illis benefacere: me autẽ non ſemper habebitis: Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in ſepulturã. Amen dico vobis: Vbicumque prædicatum fuerit Euãgelium iſtud in vniuerſo mundo, & quod fecit hęc, narrabitur in memoriam eius. C Et Iudas Iſcariotes vnus de duodecim abijt ad ſummos ſacerdotes, vt proderet cũ illis. Qui audientes gauiſi ſunt: & promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet. Et primo die Azymorum quando Paſcha

im-

immolabant, dicũt ei diſcipuli: S Quò vis eamus, & pa-
remus tibi, vt mãduces Paſcha? C Et mittit duos ex diſci-
pulis ſuis, & dicit eis: ✠ Ite in ciuitatẽ, & occurreret vo-
bis homo lagenã aquę baiulans, ſequimini eũ, & quocũ-
que introierit, dicite domino domus, quia magiſter di-
cit: Vbi eſt refectio mea, vbi Paſcha cum diſcipulis meis
manducẽ? Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grã-
de, ſtratum, & illic parate nobis. C Et abierunt diſcipuli
eius, & venerunt in ciuitatẽ: & inuenerunt ſicut dixerat
illis, & parauerũt Paſcha. Veſpere autẽ facto, venit cum
duodecim. Et diſcũbentibus eis, & manducantibus, ait
Ieſus: ✠ Amẽ dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me,
qui manducat mecũ. C At illi cęperunt cõtriſtari, & di-
cere ei ſingulatim: S Numquid ego? C Qui ait illis: ✠
Vnus ex duodecim, qui intingit mecũ manũ in catino.
Et filius quidẽ hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de eo: væ
autẽ homini illi, per quẽ Filius hominis tradetur. Bonũ
erat ei, ſi nõ eſſet natus homo ille. C Et mãducãtibus illis,
accepit Ieſus panẽ: & benedicẽs fregit, & dedit eis, & ait:
✠ Sumite, hoc eſt corpus meũ. C Et accepto calice gra-
tias agẽs dedit eis: & biberũt ex illo omnes. Et ait illis: ✠
Hic eſt sãguis meus noui teſtamẽti, qui pro multis effun-
detur. Amẽ dico vobis, quia iã nõ bibã de hoc genimine
vitis vſq; in diẽ illũ, cũ illud bibã nouũ in regno Dei. C
Et hymno dicto, exierũt in montẽ Oliuarũ. Et ait eis Ie-
ſus: ✠ Omnes vos ſcandalizabimini in me in nocte iſta:
quia ſcriptũ eſt: Percutiã Paſtorẽ, & diſpergẽtur oues. Sed
poſtquã reſurrexero, præcedam vos in Galilęã. C Petrus
autem ait illi: S Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te:
ſed nõ ego: C Et ait illi Ieſus: ✠ Amen dico tibi, quia tu





hodie in nocte hac priuſquã gallus vocẽ bis dederit, ter
me es negaturus. C At ille amplius loquebatur: S Et ſi
oportuerit me ſimul cõmori tibi, nõ te negabo: C Simi-
liter autẽ & omnes dicebant: Et veniunt in prædium, cui
nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: ✠ Sedete hic,
donec orem. C Et aſſumit Petrũ, & Iacobũ, & Ioannem
ſecum: & cępit pauere, & tædere. Et ait illis: ✠ Triſtis eſt
anima mea vſque ad mortẽ: ſuſtinete hic, & vigilate. C
Et cũ proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terrã, & ora-
bat, vt ſi fieri poſſet, trãſiret ab eo hora: & dixit: ✠ Abba
Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, trãsfer calicẽ hunc à me,
ſed nõ quod ego volo, ſed quod tu. C Et venit, & inuenit
eos dormiẽtes. Et ait Petro: ✠ Simõ dormis? non potuiſti
vna hora vigilare? Vigilate, & orate, vt nõ intretis in ten-
tationẽ. Spiritus quidẽ prõptus eſt, caro verò infirma. C
Et iterum abiens orauit eumdẽ ſermonẽ, dicẽs: Et reuer-
ſus, denuò inuenit eos dormiẽtes, (erãt enim oculi eorũ
grauati) & ignorabãt quid reſponderent ei. Et venit ter-
tiò, & ait illis: ✠ Dormite iã, & requieſcite. Sufficit: venit
hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorũ.
Surgite, eamꝰ. Ecce qui me tradet, propè eſt. C Et adhuc
eo loquẽte, venit Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, &
cũ eo turba multa cũ gladijs, & lignis miſſi à sũmis ſacer
dotibus, & Scribis, & ſenioribꝰ. Dederat aũt traditor eius
ſignũ eis, dicens: S Quẽcumque oſculatus fuero, ipſe eſt,
tenete eũ, & ducite cautè. C Et cum veniſſet, ſtatim ac-
cedẽs ad eum, ait: S Aue Rabbi: C Et oſculatus eſt eum.
At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eũ. Vnus
autẽ quidam de circumſtantibus educẽs gladiũ, percuſ-
ſit ſeruum ſummi ſacerdotis: & amputauit illi auriculã.

Et reſpondens Ieſus, ait illis: ✠ Tamquã ad latronẽ exi-
ſtis cum gladijs, & lignis comprehendere me? quotidie
eram apud vos in templo docens, & nõ me tenuiſtis. Sed
vt impleãtur Scripturæ. C Tunc diſcipuli eius relinquẽ-
tes eum, omnes fugerũt. Adoleſcens autem quidam ſe-
quebatur eum amictus ſyndone ſuper nudo, & tenue-
rũt eum. At ille reiecta ſyndone, nudus profugit ab eis.
Et adduxerunt Ieſum ad ſummum ſacerdotẽ: & conue-
nerunt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores. Petrus
autem à longè ſecutus eſt eum vſque intro in atriũ ſum-
mi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & ca-
lefaciebat ſe. Summi verò ſacerdotes, & omne cõcilium
quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, vt eum morti
traderent, nec inueniebãt. Multi enim teſtimonium fal-
ſum dicebant aduerſus eum: & cõuenientia teſtimonia
non erant. Et quidã ſurgentes falſum teſtimonium fere-
bant aduerſus eum, dicentes: S Quoniã nos audiuimus
eum dicẽtem: Ego diſſoluam templũ hoc manufactum,
& poſt triduum aliud non manufactum ędificabo. C Et
non erat conueniens teſtimonium illorum. Et exurgens
ſummus ſacerdos in medium, interrogauit Ieſũ dicens:
S Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi obijciuntur
ab his? C Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſus
ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: S Tu es
Chriſtus Filius Dei benedicti? C Ieſus autem dixit illi:
✠ Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedẽtem à dex-
tris virtutis Dei, & veniẽtem cum nubibus cæli. C Sum-
mus autem ſacerdos ſcindens veſtimẽta ſua, ait: S Quid
adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiam: quid
vobis videtur? C Qui omnes condemnauerunt eum eſſe





reum mortis. Et cęperũt quidã conſpuere eum, & velare
faciem eius, & colaphis eũ cędere, & dicere ei: S Prophe-
tiza: C Et miniſtri alapis eũ cędebant. Et cũ eſſet Petrus
in atrio deorſum, venit vna ex ancillis sũmi ſacerdotis:
& cum vidiſſet Petrũ calefacientem ſe, aſpiciens illũ, ait:
S Et tu cũ Ieſu Nazareno eras. C At ille negauit, dicens:
S Neque ſcio, neq; noui, quid dicas. C Et exijt foras ante
atrium, & gallus cãtauit. Rurſus autem cũ vidiſſet illum
alia ancilla, cępit dicere circumſtãtibus: Quia hic ex illis
eſt. At ille iterũ negauit. Et poſt puſillum rurſus qui aſta-
bant, dicebant Petro: S Verè ex illis es: nã & Galilæus es.
C Ille autẽ cæpit anathematizare, & iurare: Quia neſcio
hominem iſtum, quẽ dicitis. Et ſtatim gallus iterũ canta-
uit. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus:
Priuſquã gallus cantet, ter me negabis. Et cæpit flere. Et
confeſtim, mane conſilium facientes ſummi ſacerdotes
cũ ſenioribus, & Scribis, & vniuerſo concilio, vinciẽtes
Ieſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogauit
eum Pilatus: S Tu es rex Iudæorũ? C At ille reſpõdens,
ait illi: ✠ Tu dicis. C Et accuſabant eũ ſummi ſacerdo-
tes in multis. Pilatus autem rurſus interrogauit eũ, dicẽs:
S Non reſpondes quidquã? vide in quantis te accuſant.
C Ieſus autẽ amplius nihil reſpondit, ita vt miraretur Pi-
latus. Per diem autẽ feſtum ſolebat dimittere illis vnum
ex vinctis, quemcumque petijſſent. Erat aũt qui diceba-
tur Barabbas, quæ cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſe-
ditione fecerat homicidiũ. Et cum aſcendiſſet turba, cæ-
pit rogare, ſicut sẽper faciebat illis. Pilatus autẽ reſpõdit
eis, & dixit: S Vultis dimittã vobis regem Iudæorum? C
Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eũ ſummi

ſacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum reſpondens, ait illis: S Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? C At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: S Quid enim mali fecit? C At illi magis clamabant: S Crucifige eum. C Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit Ieſum flagellis cęſum, vt crucifigeretur. Milites autem duxerũt eum in atrium prætorij, & conuocant totã cohortem, & induunt eum purpura, & imponũt ei plectentes ſpineam coronam. Et cæperunt ſalutare eum. S Aue rex Iudæorum. C Et percutiebant caput eius arundine, & conſpuebãt eum, & ponentes genua, adorabant eum. Et poſtquã illuſerunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum veſtimentis ſuis: & educunt illum, vt crucifigerent eum. Et angariauerũt prætereuntem quẽpiam Symonem Cyrenæũ venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod eſt interpretatum Caluariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatũ vinum: & non accepit. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. Et erat titulus cauſæ eius inſcriptum: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius. Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Et cũ iniquis reputatus eſt. Et prætereuntes blaſphemabant eũ, mouentes capita ſua, & dicentes: S Vah qui deſtruis tẽplũ Dei, & in tribus diebus ædificas: ſaluum fac temetipſum deſcẽdens de cruce. C Similiter & ſũmi ſacerdotes

illu-



illudentes ad alterutrũ cũ Scribis dicebãt: S Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluũ facere. Chriſtus rex Iſrael deſcendat nũc de cruce, vt videamus, & credamus. C Et qui cũ eo crucifixi erãt cõuitiabãtur ei. Et facta hora ſexta, tenebræ factę ſunt per totã terrã vſq; in horã nonã. Et hora nona exclamauit Ieſus voce magna dicẽs: ✠ Eloi, Eloi lãma ſabacthani? C Quod eſt interpretatũ: ✠ Deus meꝰ, Deꝰ meꝰ, vt q d dereliq ſti me? C Et quidã de circũſtãtibꝰ audiẽtes dicebãt: S Ecce Eliã vocat. C Currẽs autẽ vnus, & implẽs ſpõgiã aceto, circũponenſq; calamo, potũ dabat ei, dicẽs: S Sinite videamꝰ, ſi veniat Elias ad deponendũ eũ. C Ieſus autẽ emiſſa voce magna expirauit. Hic genuflectitur, & pauſatur aliquãtulũ. Et velũ templi ſciſſũ eſt in duo, à ſũmo vſq; deorſũ. Vidẽs autẽ Cẽturio, qui ex aduerſo ſtabat, q̃a ſic clamãs expiraſſet, ait: S Verè hic homo Filius Dei erat. C Erãt autem & mulieres de longè aſpicientes inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome: & cũ eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabãt ei, & aliæ multæ, quę ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymã.

ET cum iã ſero eſſet factũ (quia erat paraſceue, quod eſt ante Sabbatũ) venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet. Et accerſito Centurione, interrogauit eum ſi iã mortuus eſſet. Et cum cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph. Ioſeph autẽ mercatus ſyndonem, & deponens eum, inuoluit ſyndone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti.





# PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

## Secundum Lucam. Cap. 22.

IN illo tempore: Appropinquabat dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha: & quærebāt Principes ſacerdotū, & Scribæ, quomodo Ieſum interficerent: timebant verò plebem. Intrauit autem ſatanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariotes, vnū de duodecim: Et abijt, & locutus eſt cū Principibus ſacerdotū, & magiſtratibus, quemadmodū illum traderet eis. Et gauiſi ſunt, & pacti ſunt pecuniā illi dare. Et ſpopōdit, & quęrebat opportunitatē, vt traderet illū ſine turbis. Venit autem dies Azymorū, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrū, & Ioannē, dicens: ✠ Euntes, parate nobis Paſcha, vt mā-ducemus. C At illi dixerunt: Vbi vis paremus? C Et dixit ad eos: ✠ Ecce introeuntibus vobis in ciuitatē, occurret vobis homo, quidā amphorā aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quā intrat, & dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magiſter: Vbi eſt diuerſoriū, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducē? Et ipſe oſtendet vobis cęnaculum magnum ſtratū, & ibi parate. C Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerūt paſcha. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cū eo, & ait illis: ✠ Deſiderio deſideraui hoc Paſcha māducare vobiſcū, antequā patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

C Et accepto calice gratias egit, & dixit: ✠ Accipite, &
diuidite inter vos. Dico enim vobis, qđ nó bibã de gene-
ratione vitis, donec regnũ Dei veniat. C Et accepto pa-
ne gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicẽs: ✠ Hoc eſt cor-
pus meũ, quod pro vobis datur: hoc facite in meã cóme-
morationé. C Similiter & calicem, poſtquã cęnauit, di-
cẽs: ✠ Hic eſt calix nouum teſtamentũ in sãguine meo,
qui pro vobis fundetur. Verũtamen ecce manus tradẽ-
tis me, mecũ eſt in menſa. Et quidẽ Filius hominis, ſecũ-
dum quod definitũ eſt vadit: verumtamẽ vę homini illi,
per quẽ tradetur. C Et ipſi cęperũt quærere inter ſe, quis
eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & con-
tentio inter eos, quis eorũ videretur eſſe maior. Dixit au-
tẽ eis: ✠ Reges gentiũ dominãtur eorum: & qui poteſta-
tem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem nó
ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui prę-
ceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nã quis maior eſt, qui recum-
bit, an qui miniſtrat? nõnè qui recumbit? Ego autẽ in me-
dio veſtrũ ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autẽ eſtis, qui per-
manſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono
vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ, vt edatis,
& bibatis ſuper menſam meã in regno meo: & ſedeatis
ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. C Ait
autem Dñs Simoni, ✠ Simó, ecce ſatanas expetiuit vos,
vt cribraret ſicut triticum: Ego autẽ rogaui pro te, vt non
deficiat fides tua: & tu aliquãdo conuerſus, cófirma fra-
tres tuos. C Qui dixit ei: S Dñe, tecum paratus ſum, &
in carcerem, & in mortẽ ire. C At ille dixit: ✠ Dico tibi
Petre, non cãtabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe
me. C Et dixit eis: ✠ Quando miſi vos ſine ſacculo, &





pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? C
At illi dixerunt: S Nihil. C Dixit ergo eis: ✠ Sed nunc
qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non
habet, vendat tunicam ſuã, & emat gladium. Dico enim
vobis, quoniã adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet im-
pleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Et enim ea, quæ
ſunt de me, finem habent. C At illi dixerũt: S Domine,
ecce duo gladij hic. C At ille dixit eis: ✠ Satis eſt. C Et
egreſſus ibat ſecundũ conſuetudinẽ in montẽ Oliuarũ.
Secuti ſunt autem illum & diſcipuli. Et cum perueniſſet
ad locũ, dixit illis: ✠ Orate, ne intretis in tentationem. C
Et ipſe auulſus eſt ab eis quantũ iactus eſt lapidis: & poſi-
tis genibus orabat, dicens: ✠ Pater ſi vis trãsfer calicem
iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.
C Apparuit autem illi Angelus de cælo, cõfortans eum.
Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor
eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cum
ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, in-
uenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis: ✠ Quid
dormitis? ſurgite, orate ne intretis in tentationem. C Ad-
huc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas,
vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit
Ieſu, vt oſcularetur eum. Ieſus autem dixit illi: ✠ Oſcu-
lo Filium hominis tradis? C Videntes autem hi, qui circa
ipſum erant, quod futurum erat, dixerũt ei: S Domine ſi
percutimus in gladio? C Et percuſſit vnus ex illis ſeruũ
Principis ſacerdotum, & amputauit auriculam eius
dexteram. Reſpondens autem Ieſus, ait: ✠ Sinite vſque
huc. C Et cum tetigiſſet auriculam eius ſanauit eũ. Dixit
autẽ Ieſus ad eos, qui venerãt ad ſe, Principes ſacerdotũ,

& magiſtratus templi,& ſeniores. ✠ Quaſi ad latronem exiſtis cũ gladijs,& fuſtibus?Cum quotidie vobiſcũ fuerim in tẽplo,nõ extẽdiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra,& poteſtas tenebrarũ. C Cõprehendentes autem eũ,duxerũt ad domũ Principis ſacerdotum: Petrus verò ſequebatur à longè. Accenſo autẽ igne in medio atrij,& circũſedẽtibus illis,erat Petrus in medio eorũ. Quem cũ vidiſſet ancilla quædã ſedentẽ ad lumen,& eũ fuiſſet intuita,dixit: S Et hic cũ illo erat. C At ille negauit eũ, dicẽs: S Mulier,non noui illũ. C Et poſt puſillũ,alius vidẽs eũ,dixit: S Et tu de illis es. C Petrus verò ait: S O homo, non ſũ. C Et interuallo facto quaſi horæ vnius,alius quidã affirmabat,dicens: S Verè & hic cũ illo erat:nã & Galilæus eſt. C Et ait Petrus: S Homo neſcio quid dicis. C Et adhuc eo loquẽte continuò cantauit gallus. Et cõuerſus Dñs reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Dñi,ſicut dixerat:Quia prius quàm gallus cantet,ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè:Et viri,qui tenebãt illum,illudebant ei,cædentes.Et velauerunt eũ, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eũ,dicentes: S Prophetiza,quis eſt,qui te percuſſit? C Et alia multa blaſphemantes dicebant in eũ: Et vt factus eſt dies,cõuenerunt ſeniores plebis,& Principes ſacerdotũ,& Scribæ,& duxerunt illum in cõcilium ſuũ,dicẽtes: S Si tu es Chriſtus, dic nobis. C Et ait illis: ✠ Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autẽ & interrogauero,non reſpõdebitis mihi,neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedẽs à dextris virtutis Dei. C Dixerunt autem omnes: S Tu ergo es Filius Dei? C Qui ait: ✠ Vos dicitis,quia ego ſum. C At illi dixerũt. S Quid adhuc deſideramus teſti-





monium?ipſi enim audiuimus de ore eius. C Et ſurgens omnis multitudo eorũ,duxerunt illum ad Pilatũ. Cœperunt autẽ illũ accuſare,dicentes: S Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtrã, & prohibentem tributa dari Cæſari,& dicentẽ ſe Chriſtum regẽ eſſe. C Pilatus autem interrogauit eum,dicens: S Tu es rex Iudæorum? At ille reſpõdens,ait: ✠ Tu dicis. C Ait autẽ Pilatus ad Principes ſacerdotum,& turbas: S Nihil inuenio cauſæ in hoc homine. C At illi inualeſcebant,dicẽtes: S Cõmouit populum docens per vniuerſã Iudæã, incipiens à Galilæa vſque huc. C Pilatus autẽ audiens Galilæã, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eũ ad Herodẽ, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſu,gauiſus eſt valde. Erat enim cupiẽs ex multo tẽpore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpõdebat. Stabant autem Principes ſacerdotũ,& Scribæ conſtanter accuſantes eũ. Spreuit autẽ illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba,& remiſit ad Pilatũ. Et facti ſũt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nã anteà inimici erãt ad inuicẽ. Pilatus autem cõuocatis Principibus ſacerdotũ, & magiſtratibus,& plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominẽ,quaſi auertentẽ populum,& ecce ego corã vobis interrogans,nullã cauſã inuenio in homine iſto ex his, in quibus eũ accuſatis. Sed neque Herodes:nã remiſi vos ad illũ, & ecce nihil dignum morte actũ eſt ei. Emẽdatum ergo illum dimittã. C Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum, vnum. Exclamauit

autem ſimul vniuerſa turba, dicens: S Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. C Qui erat propter ſeditionem quamdam factam in ciuitate, & homicidium, miſſus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volēs dimittere Ieſum. At illi ſucclamabāt, dicentes: S Crucifige, crucifige eū. C Ille autē tertio dixit ad illos: S Quid enim mali fecit iſte? nullā cauſam mortis inuenio in eo: corripiā ergo illum, & dimittā. C At illi inſtabāt vocibus magnis poſtulantes, vt crucifigeretur. Et inualeſcebant voces eorū. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionē eorum. Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium, & ſeditionē miſſus fuerat in carcerem, quē petebant, Ieſum verò tradidit voluntati eorū. Et cū ducerent eum, apprehenderunt Simonē quemdā Cyrenenſem veniētem de villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierū: quæ plangebant, & lamētabantur eū. Conuerſus autem ad illas Ieſus dixit: ✠ Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniā ecce venient dies, in quibus dicēt beatę ſteriles, & vētres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipiēt dicere montibus: Cadite ſuper nos. Et collibus: Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? C Ducebantur autem & alij duo nequā cū eo, vt interficerentur. Et poſtquā venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerūt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris. Ieſus autē dicebat: ✠ Pater dimitte illis: nō enim ſciunt quid faciunt. C Diuidentes verò veſtimenta eius, miſerunt ſortes. Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum eis,

di-



dicentes: S Alios ſaluos fecit, ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. C Illudebāt autem ei, & milites accedentes, & acetū offerentes ei, & dicentes. S Si tu es rex Iudæorum, ſaluum te fac. C Erat autē ſuperſcriptio ſcripta ſuper eū litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic eſt rex Iudęorum. Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blaſphæmabat eū, dicentes: S Si tu es Chriſtus ſaluum fac temetipſum, & nos. C Reſpōdens autem alter increpabat eū, dicēs: S Neque tu times Deum, quod in eadē damnatione es. Et nos quidē iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. C Et dicebat ad Ieſū: S Dn̄e, memento mei cū veneris in regnum tuū. C Et dixit illi Ieſus: ✠ Amen dico tibi: hodie mecū eris in paradiſo. C Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſā terrā vſque in horā nonā. Et obſcuratus eſt ſol: & velū templi ſciſſū eſt medium. Et clamās voce magna Ieſus ait: ✠ Pater in manus tuas cōmendo ſpiritū meum. C Et hæc dicens, expirauit. Hic genuflectitur, & pauſatur aliquantulū. Videns autē Centurio, quod factū fuerat, glorificauit Deū, dicens: S Verè hic homo iuſtus erat. C Et omnis turba eorū, qui ſimul aderāt ad ſpectaculū iſtud, & videbāt quæ fiebāt, percutiētes pectora ſua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à lōgè: & mulieres, quæ ſecutæ erant eum à Galilæa hæc videntes.

ET ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus, & iuſtus: hic non cōſenſerat conſilio, & actibus eorū, ab Arimathęa ciuitate Iudę, qui expectabat, & ipſe regnum Dei. Hic acceſſit ad Pilatū, & petijt corpus Ieſu: & depoſitum inuoluit ſyndone, & poſuit eū in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.





# PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

## Secundum Ioannem. Cap. 18.

IN illo tépore: Egreſſus eſt Ieſus cũ diſcipulis ſuis trans torrentem Cedró, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius. Sciebat auté & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequẽter Ieſus cõuenerat illuc cũ diſcipulis ſuis. Iudas ergo cũ accepiſſet cohorté, & à Põtificibus, & Phariſęis miniſtros, venit illuc cum lãternis, & facibus, & armis. Ieſus itaque ſciẽs omnia, quæ vẽtura erãt ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: ✠ Quem quæritis? C Reſpóderunt ei: S Ieſum Nazarenũ, C Dicit ei Ieſus: ✠ Ego ſum. C Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. Vt ergo dixit eis: Ego ſum: abierũt retrorſum, & ceciderunt in terrã. Iterum ergo interrogauit eos: ✠ Quem quęritis? C Illi autem dixerunt: S Ieſum Nazarenum. C Reſpondit Ieſus: ✠ Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. C Vt impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi nó perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percuſſit Pontificis ſeruum: & abſcidit auriculã eius dextram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Dixit ergo Ieſus Petro: ✠ Mitte gladium tuum in vaginã. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibã illum? C Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Iudæorum cóprehẽderunt Ieſum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum

ad

ad Annã primum: erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium derat Iudæis: Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Ieſum Simõ Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ: & introduxit Petru m. Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: S Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? C Dicit ille. S Non ſum. C Stabant autem ſerui, & miniſtri ad prunas: quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis Petrus ſtans, & calefaciens ſe: Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus: ✠ Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Sinagoga, & in templo, in quo omnes Iudęi conueniũt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego. C Hæc autem cum dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: S Sic reſpondes Pontifici? C Reſpondit ei Ieſus: ✠ Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis? C Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe. Dixerunt ergo ei: S Numquid & tu ex diſcipulis eius es? C Negauit ille, & dixit: S Non ſum. C Dicit ei vnus ex ſeruis pontificis cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: S Nonne ego te vidi in horto cum illo? C Iterum ergo negauit Petrus: & ſtatim gallus cantauit. Adducunt ergo Ieſum

à Cai-



à Caipha in prętorium. Erat autem mane, & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: S Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? C Reſponderunt, & dixerunt ei: S Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. C Dixit ergo eis Pilatus: S Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum. C Dixerunt ergo ei Iudęi. S Nobis non licet interficere quemquam. C Vt ſermo eius impleretur, quem dixit: ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Ieſum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? C Reſpondit Ieſus: ✠ A temetipſo hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? C Reſpondit Pilatus: S Numquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? C Reſpondit Ieſus: ✠ Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo fuiſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. C Dixit itaque ei Pilatus: S Ergo rex es tu? C Reſpondit Ieſus: ✠ Tu dicis, quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati, omnis enim, qui eſt ex veritate, audit vocem meam. C Dicit ei Pilatus: S Quid eſt veritas? C Et cum hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: S Ego nullam inuenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? C Clamauerunt ergo rurſum omnes dicentes. S Non hunc, ſed Barabbã. C Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit

Pila-

Pilatus Ieſum,& flagellauit. Et milites plectentes coronã de ſpinis impoſuerũt capiti eius: & veſte purpurea circũdederunt eũ. Et veniebant ad eũ, & dicebant: S Aue rex Iudęorũ: C Et dabant ei alapas. Exiuit ergo iterũ Pilatus foras, & dicit eis: S Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis, quia nullã inuenio in eo cauſã. C (Exiuit ergo Ieſus portans coronã ſpineam, & purpureũ veſtimentũ:) Et dicit eis: S Ecce homo. C Cum ergo vidiſſent eũ Pontifices, & miniſtri clamabãt, dicentes: S Crucifige, crucifige eũ: C Dicit eis Pilatus: S Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim nõ inuenio in eo cauſã. C Reſpõderunt ei Iudæi: S Nos legẽ habemus, & ſecundum legẽ debet mori, quia filiũ Dei ſe fecit. C Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonẽ, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum: & dixit ad Ieſum: S Vnde es tu? C Ieſus autẽ reſponsũ nõ dedit ei. Dicit ergo ei Pilat⁹: S Mihi nõ loqueris? neſcis quia poteſtatẽ habeo crucifigere te, & poteſtatẽ habeo dimittere te? C Reſpõdit Ieſus: ✠ Non haberes poteſtatẽ aduersũ me vllã, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, mai⁹ peccatũ habet. C Et exinde quęrebat Pilatus dimittere eũ. Iudæi autẽ clamabãt, dicẽtes: Si hunc dimittis, nõ es amicus Cęſaris. Omnis enim qui ſe regẽ facit, contradicit Cæſari. C Pilatus autẽ cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autẽ Gabbatha. Erat autẽ paraſceue Paſchę, hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis: S Ecce rex veſter. C Illi autẽ clamabant: S Tolle, tolle, crucifige eum. C Dicit ei Pilatus: S Regem veſtrum crucifigã? C Reſponderunt Pontifices: S Non habemus Regem niſi Cæſarem. C Tunc

ergo



ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperũt autem Ieſum, & eduxerunt. Et baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluarię locum, Hebraicè autẽ Golgotha: Vbi crucifixerunt eum, & cũ eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum. Scripſit autem & titulũ Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptũ: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia propè ciuitatẽ erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus: & erat ſcriptum Hebraicè, Gręcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices: S Noli ſcribere Rex Iudęorum: ſed quia ipſe dixit. Rex ſum Iudæorum. C Reſpondit Pilatus: S Quod ſcripſi, ſcripſi. C Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, (& fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem. S Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. C Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtẽ meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hęc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergo Ieſus matrẽ, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: ✠ Mulier ecce filius tuus. C Deinde dicit diſcipulo: ✠ Ecce mater tua, C Et ex illa hora accepit eã diſcipulus in ſua. Poſtea ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt, vt cõſumaretur Scriptura, dixit: ✠ Sitio. C Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpõgiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cũ ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: ✠ Conſummatum eſt.

C Et

C. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Hic genuflectitur, & pauſatur aliquantulum. Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat:) Vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum. Non fregerunt eius crura, ſed vnus militum, lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

POſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, (eo quod eſt diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudęorū) vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.

Finis Officij Beatæ Mariæ Virginis.

SAL-



SALMI, CHE SI DICONO nelli Veſperi delle Domeniche: & nel Natale con la ſua Vigilia, & Ottaua: & nelle feſte de gli Apoſtoli, & Euāgeliſti: & nelle Cōpiete di tutto l'Anno. Pſal. 109.

DIxit Dominus Domino meo: * Sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, * ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: * ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: * Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, * confregit in die iræ ſuæ reges.

Iudicabit in nationibus implebit ruinas: * conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Pſalmus 110.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: * in conſilio iuſtorum, & congregatione.

Magna opera Domini: * exquiſita in omnes voluntates eius.

Confeſſio, & magnificentia opus eius: * & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus: * eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: * virtutem operum ſuorum annunciabit pupulo ſuo.

Vt det illis hereditatem Gentium: * opera manuum eius veritas, & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius:confirmata in ſęc ulum ſęculi, * facta in veritate,& æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo: * mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum,& terribile nomen eius:* initium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio eius manet in ſæculum ſæculi. Gloria,&c. Pſalm.111.

Beatus vir, qui timet Dominum: * in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit ſemen eius:* generatio rectorum benedicetur.

Gloria, & diuitiæ in domo eius: * & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis:*miſericors,& miſerator, & iuſtus.

Iucūdus homo qui miſeretur,& cōmodat,diſponet ſermones ſuos in iudicio:*quia in æternū nō cōmouebitur.

In memoria æterna erit iuſtus: * ab auditione mala non timebit.

Paratū cor eius ſperare in Domino, cōfirmatum eſt cor eius: * nō cōmouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.

Diſperſit, dedit pauperibus iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, * cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: * deſiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri, &c. Pſalmus 112.

Laudate pueri Dominum:*laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.





A ſolis ortu vſque ad occaſum, * laudabile nomen Dñi.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus,* & ſuper cælos gloria eius.

Quis ſicut Dominus Deus noſter,qui in altis habitat,*& humilia reſpicit in cælo, & in terra?

Suſcitans à terra inopé,* & de ſtercore erigens pauperé.

Vt collocet eum cum principibus, * cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo:* matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri,& Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, &c. Pſalmus 113.

In exitu Iſrael de Aegypto, * domus Iacob de populo barbaro.

Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: * Iſrael poteſtas eius.

Mare vidit,& fugit:* Iordanis conuerſus eſt retrorſum.

Montes exultauerūt vt arietes:*& colles ſicut agni ouiū.

Quid eſt tibi mare quod fugiſti: * & tu Iordanis, quia conuerſus eſt retrorſum?

Montes exultaſtis ſicut arietes,& colles ſicut agni ouiū.

A facie Domini mota eſt terra,* à facie Dei Iacob.

Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, * & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Dñe,nō nobis:* ſed nomini tuo da gloriam.

Super miſericordia tua,& veritate tua,*nequando dicāt gentes: vbi eſt Deus eorum?

Deus autē noſter in cęlo:*omnia quæcūque voluit fecit.

Simulacra gentium argentum, & aurum, *opera manuum hominum.

Os habēt,& nō loquētur:*oculos habēt,& nō videbunt.

Aures habent, & non audient: * nares habent, & non odorabunt.
Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: * non clamabunt in gutture ſuo.
Similes illis fiant qui faciunt ea: * & omnes qui confidunt in eis.
Domus Iſrael ſperauit in Domino: * adiutor eorum & protector eorum eſt.
Domus Aaron ſperauit in Domino: * adiutor eorum, & protector eorum eſt.
Qui timent Dominum, ſperauerunt in Domino: * adiutor eorum, & protector eorum eſt.
Dominus memor fuit noſtri: * & benedixit nobis.
Benedixit domui Iſrael: * benedixit domui Aaron.
Benedixit omnibus, qui timent Dominum, * puſillis cum maioribus.
Adijciat Dominus ſuper vos: * ſuper vos, & ſuper filios veſtros.
Benedicti vos à Domino: * qui fecit cælum, & terram.
Cælum cæli Domino: * terram autẽ dedit filijs hominũ.
Non mortui laudabunt te Domine: * neque omnes, qui deſcendunt in infernum.
Sed nos, qui viuimus benedicimus Domino, * ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.

### Canticum B. Mariæ Virginis. Luc. 1.

MAgnificat * anima mea Dominum.
Et exultauit ſpiritus meus * in Deo ſalutari meo.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.





Quia fecit mihi magna qui potẽs eſt: & ſãctũ nomẽ eius.
Et miſericordia eius à progenie in progenies * timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui:
Depoſuit potentes de ſede, * & exaltauit humiles.
Eſurientes impleuit bonis: * & diuites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſrael puerũ ſuũ, * recordatus miſericordię ſuę.
Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, * Abraham, & ſemini eius in ſæcula. Gloria Patri, & Filio, &c.

### Queſti Salmi ſi dicono al Veſpero la Vigilia di Natale del Noſtro Signore Gieſù Chriſto.


Dixit Dominus. à car. 497.
Confitebor. à car. 497.
Beatus vir. à car. 498.
Laudate pueri. à car. 498.


### Pſalmus 116.

LAudate Dñm oẽs gentes: * laudate eũ omnes populi.
Quoniam cõfirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: * & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, &c.
Magnificat. à car. 500.

### Queſti Salmi ſi dicono il giorno di Natale, & per tutta l'Ottaua di Noſtro Signore, al Veſpero.


Dixit Dominus. à car. 497.
Confitebor. à car. 497.
Beatus vir. à car. 498.
De profundis. à car. 270.


### Pſalmus 131.

MEmento Domine Dauid, * & omnis manſuetudinis eius.

Sicut iurauit Domino,* votum vouit Deo Iacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ, * ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.
Si dedero ſomnum oculis meis,* palpebris meis dormitationem.
Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, * tabernaculum Deo Iacob.
Ecce audiuimus eam in Ephrata: * inuenimus eam in campis ſyluæ.
Introibimus in tabernaculum eius: * adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.
Surge Dñe in requiẽ tuã,* tu & arca ſanctificationis tuę.
Sacerdotes tui induantur iuſtitiã:* & ſancti tui exultent.
Propter Dauid ſeruũ tuũ,* non auertas faciẽ Chriſti tui.
Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eam: * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.
Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum:* & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.
Et filii eorum vſque in ſęculũ,* ſedebunt ſuper ſedẽ tuã.
Quoniam elegit Dominus Sion:* & elegit eam in habitationem ſibi.
Hæc requies mea in ſæculum ſæculi:* hic habitabo quoniam elegi eam.
Viduam eius benedicens benedicam:* pauperes eius ſaturabo panibus.
Sacerdotes eius induam ſalutari: * & ſancti eius exultatione exultabunt.
Illuc producam cornu Dauid, * paraui lucernam Chriſto meo.
Inimicos eius induam confuſione:* ſuper ipſum autem





efflorebit ſanctificatio mea. Gloria Patri, & Filio, &c.
Magnificat. à car. 500.

**Queſti Salmi ſi dicono à tutti i Veſperi delle Feſte degli Apoſtoli, & Euangeliſti.**

Dixit Dominus. à car. 497.
Laudate pueri. à car. 497.

**Pſalmus 115.**

Credidi propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.
Ego dixi in exceſſu meo:* Omnis homo mendax.
Qui id retribuã Dño,* pro omnibus, quę retribuit mihi?
Calicem ſalutaris accipiã:* & nomẽ Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam corã omni populo eius: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.
O Domine, quia ego ſeruus tuus:* ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea:* tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddã in conſpectu omnis populi eius: * in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem.
Gloria Patri, &c.

**Pſalmus 125.**

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: * facti ſumus ſicut conſolati.
Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: * & lingua noſtra exultatione.
Tunc dicẽt inter gẽtes:* magnificauit Dñs facere cũ eis.
Magnificauit Dominus facere nobiſcum: * facti ſumus lætantes.
Conuerte Domine captiuitatem noſtram,* ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis, * in exultatione metent.
Euntes ibant, * & flebant mittentes ſemina ſua.
Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos ſuos. Gloria Patri, &c. Pſalmus 138.

DOmine probaſti me, & cognouiſti me: * tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.
Intellexiſti cogitationes meas de longe: * ſemitam meã, & funiculum meum inueſtigaſti.
Et omnes vias meas præuidiſti: * quia non eſt ſermo in lingua mea.
Ecce Domine tu cognouiſti omnia, nouiſſima, & antiqua: * tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.
Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: * confortata eſt, & non potero ad eam.
Quò ibo à ſpiritu tuo? * & quò à facie tua fugiam.
Si aſcendero in cęlum, tu illic es: * ſi deſcendero in infernum, ades.
Si ſumpſero pennas meas diluculo, * & habitauero in extremis maris.
Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.
Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me: * & nox illuminatio mea in delicijs meis.
Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: * ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.
Quia tu poſſediſti renes meos: * ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.
Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: * mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.
Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occul-





to: * & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.
Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: * dies formabuntur, & nemo in eis.
Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus * Nimis confortatus eſt principatus eorum.
Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur * exurrexi, & adhuc ſum tecum.
Si occideris Deꝰ peccatores: viri ſãguinũ declinate à me.
Quia dicitis in cogitatione: * Accipient in vanitate ciuitates tuas.
Nonne qui oderunt te Domine, oderam: * & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?
Perfecto odio oderam illos: * & inimici facti ſunt mihi.
Proba me Deus, & ſcito cor meum: * interroga me, & cognoſce ſemitas meas.
Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: * & deduc me in via æterna. Gloria, &c. Magnificat. à car. 500.

## SALMI, CHE SI DICONO
### Alle Compiete di tutto l'Anno. Pſalmus 4.

CVm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitię meę: * in tribulatione dilataſti mihi.
Miſerere mei, * & exaudi orationem meam.
Filij hominum vſquequo graui corde? * vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſãctum ſuũ: * Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.
Iraſcimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.
Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: * Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine * dediſti lætitiam in corde meo.
A fructu frumenti, vini, & olei ſui * multiplicati ſunt.
In pace in idipſum * dormiam, & requieſcam.
Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe * conſtituiſti me.
Gloria Patri, &c.

Pſalmus 30.

IN te Domine ſperaui non confundar in æternum: * in iuſtitia tua libera me.
Inclina ad me aurem tuam, * accelera vt eruas me.
Eſto mihi in Deum protectorem: & in domum refugij, * vt ſaluum me facias.
Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: * & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.
In manus tuas commendo ſpiritum meum: * redemiſti me Domine Deus veritatis.
Gloria Patri, &c.
Qui habitat. à car. 452.

Pſalmus 133.

ECce nunc benedicite Dominum, * omnes ſerui Domini.
Qui ſtatis in domo Domini, * in atrijs domus Dei noſtri.
In noctibus extollite manus veſtras in ſancta: * & benedicite Dominum.
Benedicat te Dominus ex Sion, * qui fecit cælum, & terram.
Gloria Patri, & Filio, &c.





Canticum Simeonis. Luc. 2.

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine, * ſecundum verbum tuum in pace.
Quia viderunt oculi mei: * ſalutare tuum,
Quod paraſti * ante faciem omnium populorum.
Lumen ad reuelationem gentium, * & gloriam plebis tuæ Iſrael.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Il fine di quei Salmi, che ſi dicono à i Veſperi delle Domeniche, con quelli del Natale, & della Vigilia, con la ſua Ottaua, & degli Apoſtoli, & Euangeliſti, & alle Compiete di tutto l'anno.

# BREVE
# COMPENDIO
# DELL'ORDINE,
## Et modo di dire
## IL ROSARIO
### Della Glorioſa Vergine Maria.

*Et l'Indulgenze, che per dirlo s'acquiſtano.*

Con le Litanie della Madonna.



IN VENETIA,

M.DC.XXXXIIII.



# DELLA
# MIRACOLOSA
# SOLENNITA,
## Et Feſta del Santo Roſario.

*Inſtituita da N.S. Papa Gregorio XIII. per la prima Dominica d'Ottobre.*

SEmpre che dalla Santa Romana Chieſa ne viene d'anno in anno rappreſentato alcun miſterio del Santo Roſario, facendoſi di lui deuota commemoratione, & feſta, ancor che dir poſſiamo, che feſta ſia del ſanto Roſario; parue però bene à quei noſtri antichi Padri conditori de i riti, & Capitoli di queſta ſacra Compagnia, di dargli determinata Feſta, e giorno: & fecero, che ſi come il diuino, & inenarrabile miſterio dell'Incarnatione del Figliuol di Dio, è di tutti gl'altri l'origine, e principio: così la feſta ſua, che chiamiamo Annunciatione della Beata Vergine, foſſe la prima, e principale del ſanto Roſario. Mà perche vn ſolo miſterio, benche trà gli altri principale, veniua ad eſſer ſolamente celebrato, & non tutti vnitamente queſta feſta non haueua proprio nome, nè del Roſario ſi faceua particolar mentione, nè Officio: nè manco da tutti era come tale oſſeruata, e celebrata.

Hor ecco, che cō miracoloſa occaſione, e ſanto veramente, & religioſiſſimo conſiglio è ſtata dalla Santità di N. Signore Papa Greg. XIII. di felice memoria, per commū beneficio della ſua ſāta Chieſa, inſtituita, & ordinata

per la prima Domenica di Ottobre: non tanto per confermatione, e commendatione di queſto ſacro rito, & Compagnia: quanto per gratia, e pia recognitione del gran beneficio, in gran parte per lei conſeguito, & ottenuto quel giorno di quella grande, e miracoloſa vittoria de i Principi Chriſtiani, confederati, & collegati inſieme ſotto Pio V. di ſanta, & eterna memoria contra al Turco cōmune nemico del nome Chriſtiano, non molto diſcoſto dallo ſtretto di Corintho, alli 7. di Ottobre M. D. LXXI. giorno di Domenica per noi felice quell'anno, dopò Veſpero nel declinar del giorno; hora nella quale per tutto il Chriſtianeſimo fanno li fratelli le loro deuote proceſſioni, implorando, & inuocando la Regina del Cielo, miſericordioſamente, non meno che miracoloſamente donataci da Dio, con tanto diſauantaggio di forze, de vaſcelli, di vento, & d'animo de i noſtri, fuor d'ogni noſtra ſperanza, in meno di tre hore con poco ſangue, & perdita noſtra, con tanta, e tanta del nemico. Et chi dubiterà che i preghi di Maria, moſſa da tanti ſuoi deuoti inſieme vniti, in quel medeſimo giorno, hora, e punto, non habbi moſſo à pietà quella bontà diuina? & che ella non habbi, come Heſter, fatto piegare, & inclinare lo ſcettro della diuina giuſtitia à gratia, e fauor noſtro? Perche di manco valore ſtimar non douiamo l'armi ſpirituali, di queſte deuote, & ordinate ſquadre de i fedeli, che quelle lucenti, e forti di quelli inuiti Cauallieri di Chriſto, non mai più giuſtamente, nè più glorioſamente inſanguinate.

Hor trà i molti miracoli, & trà le molte gratie cō queſto deuoto modo di orare, per interceſſione della ſacratiſſima





tiſſima Vergine ottenute, e conſeguite, che per più breuità tralaſcio; queſta ſola già detta tanto ſingolare baſti ad indurci à queſta pia, & ſanta inſtitutione: & come grati di sì gran beneficio, à rendere in queſto memorando giorno le douute gratie à Dio, che l'hà miſericordioſamente donata, & alla Regina Madre, che l'hà benignamente impetrata, facendone lieta, & glorioſa feſta: ſi come il Breue di Noſtro Signor Papa Gregorio piamente c'inuita, che comincia.

Ad perpetuam rei memoriam, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris.

Die primo Aprilis. M.D.LXXIII. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Cæſar Glorierius.

## Quello, che ſiano tenuti à fare quelli, che ſono ſcritti nella Confraternità del Santiſſimo Roſario: e come, & quante volte ſi debba dire il Salterio, ò Roſario di noſtra Donna.

QVello, che ſi ſcriue nella Compagnia del Roſario, nõ hà coſa alcuna, che lo obblighi à peccato, ouero à qualſiuoglia pena, mà ſolo, ſe vuol participare de i beni, che ſi fanno nella Cõfraternità del Roſario, & nella Religione di San Domenico, & l'altre Indulgenze, & gratie da Sommi Pontefici conceſſe, deue dire vna volta la ſettimana tutto il Salterio, ò Roſario, ò Corona di noſtra Donna, che ſono 150. Aue Maria, & 15. Pater noſter, che fanno in tutto 15. poſte della Corona ordinaria: & nõ è obbligato à dirne più, ſe già non voleſſe raddoppiare in ſe i meriti, & l'Indulgenze, come può fare. Et queſte 150. Aue Maria, & 15. Pater noſter, ordinati in 15. poſte ſi debbano dire da chi può, & sà, adoperandoci ancora qualche fatica ad impararlo: contemplando quindeci Miſterij diuini di Gieſù Chriſto, e della Madre Maria, per ogni poſta di detta Corona, ò Roſario, vn Miſterio: li quali primi cinque Miſterij, ſi dimandano Gaudioſi: i ſecondi Doloroſi, & i terzi Glorioſi.

### Nella prima poſta, ſi contemplano i cinque Miſterij Gaudioſi.

NEl primo Miſterio dunque de i Gaudioſi, dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come la Vergine ſanta fù annunciata dall'Angelo Gabrielle, che doueua concepire, & partorire il Signor Gieſù Chriſto.





NEl ſecondo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla, come la Vergine ſanta hauendo inteſo, che ſanta Eliſabetta era grauida, ſi partì ſubito, & andò à viſitarla à caſa ſua, & ſtette con eſſa tre meſi.

NEl terzo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come eſſendo venuto il tempo di partorire, partorì Maria nella Città di Bethleẽ il Noſtro Redentore nella meza notte, frà due animali nel preſepio.

NEl quarto Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come nel giorno della ſua Purificatione la Vergine ſanta preſentò Chriſto noſtro Signore nel tempio nelle braccia del vecchio Simeone.

NEl quinto Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come Maria hauendo ſmarrito il ſuo Figliuolo, e cercatolo per tre giorni, alla fine il terzo giorno lo ritrouò in mezo de i Dottori, che diſputaua eſſendo d'anni dodici.

### Nelle ſeguenti cinque poſte ſi contemplano cinque Miſterij Doloroſi.

NEl primo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come il noſtro Signor facendo oratione nell'horto ſudò ſangue.

NEl ſecondo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come GIESV Chriſto fù flagellato in caſa di Pilato crudeliſſimamente, & furongli date ſei milla ſeicento ſeſſanta ſei battiture.

NEl terzo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come Gieſù Chriſto fù coronato di pungenti ſpine.

NEl quarto Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come eſſendo Gieſù Chriſto condannato à morte, per ſua maggior vergogna, & dolore, gli fù poſto ſopra le ſpalle il legno della Croce.

NEl quinto Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla, come Gieſù Chriſto giunto sù'l monte Caluario, fù ſpogliato, & confitto in Croce con duriſſimi, & crudeliſſimi chiodi, doue era preſente l'afflitta Madre.

## Nelle ſeguenti vltime poſte, ſi contemplano i cinque Miſterij Glorioſi.

NEl primo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contẽpla come il noſtro Signor Gieſù Chriſto, il terzo giorno dopò la ſua morte, & paſſione reſuſcitò trionfante, & glorioſo, per nõ mai più morire.

NEl ſecondo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come Gieſu Chriſto dopò quaranta giorni, che fu riſuſcitato, aſceſe al Cielo con mirabil feſta, e trionfo, vedendolo la ſua Madre ſantiſſima con tutti li ſuoi diſcepoli.

NEl terzo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contempla come Chriſto ſedendo alla deſtra del Padre, mandò lo Spirito ſanto nel cenacolo, doue erano gli Apoſtoli con Maria congregati

NEl quarto Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi contẽpla come la Vergine glorioſa dodici anni dopò la Reſurretione del noſtro Signore paſsò da queſta vita, & da gli Angeli fu aſſonta in Cielo.



NEl quinto, & vltimo Miſterio dicendo vn Pater noſter, & dieci Aue Maria, ſi cõtempla, come la Vergine fù coronata dal ſuo Figliuolo, & ſi contempla la gloria di tutti i Santi.

Et queſto è l'obligo, che tengono li Fratelli, e Sorelle del Roſario, di dirlo ogni ſettimana vna volta ſola, com'é detto. Et ſi poſſon dire tutte le quindeci poſte in vn giorno, ouero in trè, come più torna commodo: & ſiano qual ſi vogliono i tre giorni, che tu ti eleggerai, pur contemplando quelle prime cinque poſte, ó vuoi nel primo giorno (come é detto) i Miſterij Gaudioſi; nelle ſeconde cinque poſte, ò nel ſecondo giorno i Miſterij Penoſi; nelle terze cinque poſte, ò nel terzo giorno i cinque Miſterij Glorioſi. E detto Roſario diuiſo, come, è detto in 15. poſte ouero 150. Aue Maria, & 15. Pater noſter, lo potrai dire in Chieſa, in caſa, in piazza, nella via, in terra, in mare, ne i boſchi, & in ogni altro luogo: puoſſi dire ancora inginochioni, in piedi, ſedendo, caminando, â piedi, á cauallo, & in ogni altro modo, che vorrai; purche tu habbia la mente eleuata à Dio, & alla glorioſa Vergine Maria. Et laſciando di dire il Roſario, o per negligenza, o per altra cauſa, non pecchi: ma ſolo per quel tempo, che tu non lo dici, ſei priuo della participatione de' beni, che ſi fanno da gli altri Confrati, & Conſuore, che lo dicono, & di quelli, che ſi fanno nella Religione di San Domenico, & non acquiſti l'Indulgenze conceſſe à quelli, che lo dicono. Et chi non voleſſe, ò no'l poteſſe dire, potrà farlo dire da qualche perſona per ſua

parte, & gioueralli come ſe eſſo lo diceſſe.

Puoſſi ancora dire il Roſario per li morti, & gioua loro come ſe viueſſero: purche ſiano ſcritti nella Compagnia, ò prima che moriſſero, ò poiche ſono morti.

Item ſi notifica, che neſſun può eſſer riceuuto, o ſcritto in detta Confraternità, ſe non da quelle perſone, che hanno particolare licenza dal Reuerendiſſimo Generale dell'Ordine di San Domenico, ò da ſuoi Prouinciali; è dopò ch'è ſcritto da i predetti, farà benedire la Corona del Roſario, che ſi fà di 50. Aue Maria, & cinque Pater noſter.

Item ſi notifica, che per farſi riceuere, & ſcriuere in detta Confraternità del Roſario, non ſi può riceuere pagamento alcuno; perche coſi è ordinato, che queſta Fraternità ſia fatta ſenza macula d'alcuna mercede temporale, & nella vera carità

Item, chi ſarà ſcritto in queſta Compagnia, è partecipe di tutti i beni, che ſi fanno per tutto il mondo dalli Fratelli, & Sorelle di detta Compagnia.

Item dopò le quattro Feſte principali della Beata Vergine Maria, cioè Purificatione, Annunciatione, Aſſuntione, & Natiuità, ſi deuono fare quattro Officij de' morti, per l'anime de' morti, che ſono ſcritti in queſta Compagnia; e tutti i fratelli, e ſorelle potendo, non mãcheranno di eſſer preſenti a pregare per quelli.

Item ſi notifica, come ogni prima Domenica di ciaſcun meſe a Veſpero ſi fa la proceſſione della ſopradetta Compagnia del Santiſſimo Roſario.

Item ſi notifica, che ſe bene tutte le feſte della Beata Vergine ſi deono celebrare, & honorare da i fratelli





di queſta Compagnia nondimeno la principale ſolennità di queſta Confraternità ſi hà da celebrare nella Feſta della Nonciata, cioè a' 25. di Marzo, quãdo fù annonciata dall'Angelo.

Per ſpecial deuotione, che teneua la felice mem. di Leone X. alla ſanta Vergine, conceſſe a' fratelli, e ſorelle del Roſario (contriti, e confeſſi in forma Eccleſiæ) tutte l'Indulgenze delle Stationi delle Chieſe di Roma, come ſe ſpecialmẽte viſitaſſero le dette Chieſe, doue ſono tali Stationi, ogni volta, che ne' giorni di eſſe Stationi viſitaſſero i cinque Altari, ò vn'Altare cinque volte, doue non fuſſe più d'vn'Altare; & per ogni Altare diceſſero 5. Aue Maria, & 5. Pater noſter, in qualche Chieſa doue foſſe detto Roſario, ò in qualche luogo doue non fuſſe la Compagnia del Roſario. Qual'indulto è ſtato da molti altri Sommi Pontefici confermato, come veder ſi può nel libro intitolato, Roſario della Madonna. Quante ſiano poi le altre Indulgenze conceſſe da diuerſi Sommi Pontefici alla Compagnia del Roſario, manifeſtamente in eſſo libretto appare.





# LITANIE
## DELLA B· VERGINE
## MARIA.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mũdi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Mater Chriſti, ora.
Mater diuinæ gratiæ, ora.
Mater puriſſima, ora.
Mater caſtiſſima, ora.
Mater inuiolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.

Mater Creatoris, ora.
Mater Saluatoris, ora.
Virgo prudentiſſima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum iuſtitiæ, ora.
Sedes Sapientiæ, ora.
Cauſa noſtræ lætitiæ, ora.
Vas ſpirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas inſigne deuotionis, ora.
Roſa myſtica, ora.
Turris Dauidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis Arca, ora.
Ianua Cæli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Conſolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Chriſtianorum, ora.





Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apoſtolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confeſſorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Antiphona. Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

GRatiam tuam quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde: vt qui Angelo nun-

ciante Chriſti Filij tui incarnationem cognouimus, per paſſionem eius, & Crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

## IL FINE.



# ORATIONE
# ALLA REGINA
## Di tutte le Creature.

SEreniſſima Imperatrice del Cielo, madre dell'vnigenito Figliuolo dell'eterno Padre, ſacrario dello Spirito ſanto, Maria Vergine puriſſima; piena di gratia, & benedetta ſopra tutte le donne, io humilmente riueriſco le tue beatiſſime viſcere, c'hanno portato il frutto della vita, per cui è venuta la ſalute, & benedittione al mondo; à te ricorrono li peccatori, come à loro mediatrice, te ricercano li miſeri come madre di miſericordia, O feliciſſima matrona eſaltata ſopra tutti i Santi, & ſopra gli Angelici Chori, che doppo il tuo dilettiſſimo Figlio e Signore poſſiedi il più alto throno della Corte celeſtiale; ò Luna reſplendentiſſima, che illumini le tenebre della noſtra oſcura notte, ò pietoſa Madre conſolatrice noſtra, chi mai t'inuocò, che foſſe da te ſcacciato? chi mai in te ſperò, che reſtaſſe confuſo? conuerti dunque à

noi quei tuoi occhi miſericordioſi, aſſomigliati alle piſcine di Eſſebon:perche ſi come in quelle non mancaua mai l'aqua, così ne i tuoi pietoſi occhi,non manca mai miſericordia, & compaſſione delle miſerie noſtre, inclina ò benigna Madre l'orecchie della tua pietà a' noſtri caldi prieghi,ricordati ò glorioſa Madre di Dio delle glorioſe coſe, che ſon dette di te & fatte per te. Tu ſei quella bella,& pietoſa Vergine figurata per Rebecca,che diede l'aqua nõ ſolamente al ſeruo di Abraham, che gli la dimandaua, mà anco à i ſuoi Cameli. Tu Virgine benedetta fauoreggi non ſolamente i giuſti, che ſono gli huomini, che viuono ſecondo la ragione: mà ancora ſei fauoreuole à i Cameli, cioè à i peccatori, che à guiſa di Cameli gibboſi, ſi laſciano vincere delle loro concupiſce nze, aquali per mezo tuo ſi communica, l'acqua della gratia. Tu ſei quella diletta Regina figurata per la bella Heſter,per la cui interceſſione il gran Rè Aſſuero conceſſe la vita à quelli, che haueua condannati; perche così tu bella, & chiara ne gli occhi dell'Altiſſimo Rè Iddio ottieni l'eterna vita à molti, che per i peccati loro meritano eſſer condannati. Tu ſei quella prudente Abi-

gail,



gail,che impedì la vendetta, che Dauid voleua fare contra Nabal ſuo marito ingrato,& sleale. Tu come Giudith, ſei la gloria di Gieruſalem, l'allegrezza d'Iſrael, & honoreuolezza di tutto il popolo Chriſtiano. Tu eccellentiſſima Signora,tu ſanta, tu glorioſa, tu allegrezza de gli Angioli,col tuo volto glorioſo conforta,e viuifica le menti noſtre,che piamente poſſiamo tutti con tutto il cuore contemplare i quindeci miſterij profondiſſimi del ſacratiſſimo Roſario tuo, à lode eterna del tuo vnigenito Figliuolo, & grandezza tua, O beatiſſima Vergine.

IL FINE.

REGESTVM.

✠ ✠✠ ✠✠✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

Omnes ſunt Quaterniones.

VENETIIS, M.DC.XLIIII.

APVD CIERAS.

*Sub Signo Europæ.*

# Missa pro Defunctis.

Introitus.






Offertorium.







Sanctus.



Agnus




# FORMULA

## SODALIUM BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

SAncta MARIA Mater DEI & Virgo, Ego *Ignacius Paczygowski* Te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam meam eligo, firmiterque ſtatuo ac propono, me nunquam Te derelicturum, neq; contra Te aliquid unquam dicturum, aut ſacturum, neque permiſſurum: ut à meis ſubditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obſecro Te igitur; ſuſcipe me in ſervum perpetuum: adſis mihi in omnibus actionibus meis: nec [illegible] deſeras in hora mortis meæ, Amen. *Fr. Joseph [illegible] Pater Spir. Congr.*

*[illegible] Rei Publicæ Cracoviensis Mercator Confraternitatis Providentiæ Dei et Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ ad Ecclesiam Sanctæ Barbaræ Præfectus*

*Franciscus [illegible] ejusdem Rei Publica Cracoviensis Mercator Confraternitatis Providentia Dei Immaculata Conceptionis Beatissima Virginis Maria ad Ecclesiam Sancta Barbara Vice Præfectus*

*Die 8. Decembr. 183[illegible]*

Curet unusquisq; Sodalium, hanc formulam Sodalitatis remitti poſt mortem ſuam ad Congregationem B. V. MARIÆ, ſitam in Collegiatæ S. BARBARÆ penes Eccleſiam; ut peculiare pro ipſius anima Suffragium fieri poſſit.

XVII
58